SYNOPSIS THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

AD MENTEM S. THOMÆ AQUINATIS
HODIERNIS MORIBUS ACCOMMODATA.

De Pœnitentia
ET
Matrimonio

PARS DOGMATICA

Auctore AD. TANQUEREY

Typis Societatis Sancti Joannis Evangelistæ
DESCLÉE ET SOCII
ROMÆ — TORNACI (Belg.) — PARISIIS
1921

De Pœnitentia

ET

Matrimonio.

PARS DOGMATICA

Auctore Ad. Tanquerey

1921

Nova editio (1921-1922) Synopsis Theologiæ dogmaticæ et moralis, necnon Brevioris Synopsis dogmaticæ et moralis, auctore AD. TANQUEREY.

Nihil obstat.
die 9ª Maii 1921.
A. BERRUÉ.

IMPRIMATUR :
† LUDOVICUS, CARD. DUBOIS
Arch. Paris.

IMPRIMATUR.
Tornaci, die 28 Maii 1921.
V. CANTINEAU, Vic. Gen

SYNOPSIS THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

AD MENTEM S. THOMÆ AQUINATIS
HODIERNIS MORIBUS ACCOMMODATA.

De Pænitentia

ET

Matrimonio

PARS DOGMATICA

Auctore AD. TANQUEREY

Typis Societatis Sancti Joannis Evangelistæ
DESCLÉE ET SOCII
ROMÆ — TORNACI (Belg.) — PARISIIS
1921

MONITUM AUCTORIS.

Cum in novâ editione *Synopsis Theologiæ Dogmaticæ* quam publici juris facimus desit pars dogmatica Tractatuum de Pænitentiâ et Matrimonio, quæ in nostrâ *Synopsi Theologiæ moralis* simul cum parte morali invenitur, opportunum duximus hos tractatus seorsim edere, ad usum eorum qui Synopsim dogmaticam, non autem moralem comparare volunt [1].

[1] *Numeros* relinquimus in editione B *Synopsis Theologiæ Dogmaticæ* adhibitos.

De Pænitentia.

Auctores consulendi.

Inter **Patres** : *Sæc. II°*, **Hermas**, *Pastor.* — *Sæc. III*, **Tertullianus**, *Liber de Pænitentiâ* et *de Pudicitiâ;* **S. Cyprianus**, *Liber de Lapsis.* — *Sæc. IV*, **S. Basilius**, *Homil. in ps. 32;* **S. Ambrosius**, *Libri duo de Pænitentiâ;* **S. Ephrem**, *Parænеses 76* seu *hortationes de pænitentia;* **S. Chrysostomus**, *Homiliæ IX de Pænitentiâ; Libri duo de Compunctione;* **S. Pacianus**, *Parænesis*, sive *adhortatorius libellus ad pænitentiam.* — *Sæc. VI*, **Joannes Jejunator**, *Consequentia et ordo erga eos qui confitentur*[1]. — *Sæc. VII*, **S. Columbanus**, *De pænitentiarum mensurâ taxandâ*[2]; **Cummianus**, *De mensurâ pænitentiarum*[3]. — *Sæc. VIII*, **Alcuinus**, *De confessione peccatorum;* **Egbertus**, *Pænitentiale*[4]; **S. Joannes Damascenus**, *Ep. de Confessione.* — *Sæc. IX*, **Theodorus Cantuariensis**, *Pænitentiale et capitula*[5]; **Rabanus Maurus**, *Pænitentium liber*[6]; **Halitgarius Cameracensis**, *De vitiis et virtutibus et de ordine pænitentium.*

Inter **Theologos** : *Sæc. XII*, **Petrus Lombardus**, *Sentent.*, lib. IV. — *Sæc. XIII*, **S. Thomas Aq.**, O. P., *Sum. theol.*, 3, q. 84 sq.; *Supplement.*, q. 1 sq.; *C. Gentil.*, lib. IV, c. 70-72; *Opusc. de modo confitendi et puritate conscientiæ.* — *Sæc. XIV*, **F. Mayron**, O. M., *De Pænitentiâ.* — *Sæc. XV*, **S. Bernardinus Senensis**, *Tr. de Confessione;* **S. Antoninus**, *Liber de eruditione confessariorum.* — *Sæc. XVI*, **Barthol. Medina**, O. P., *Instructio de sacr. Pænitentiæ;* **Joannes Fisher**, *De pænitentiâ et virtutibus pænitentiæ annexis;* **S. Carolus Borromæus**, *Instructio pro confessariis;* **Martinus Azpicuelta** (*Navarrus* dictus), *Manuale*, seu *Enchiridion Confessariorum;* **Emmanuel Sa**, S. J., *Aphorismi confessariorum.* — *Sæc. XVII*, **Sayrus**, O. S. B., *Summa sacram. Pænitentiæ*, Venetiis, 1615; **Phil. Fabri**, *Disput. theol. de pænitentiâ, de peccato, de suffragiis*, Venetiis, 1623; **Suarez**, S. J., *de Pænitentiâ;* **Bellarminus**, S. J., *De sacram. Pænitentiæ;* **J. de Lugo**, S. J., *De virtute et sacram. Pænitentiæ;* **Mart. Perez**, S. J., *De virtute et sacram. Pænitent.*, Lugduni, 1656; **Petavius**, S. J., *De pænitentiæ vetere in Ecclesiâ ratione* (*P. G.*, t. XLII, 1027 sq.); *De pænitentiâ et reconciliatione veteris Ecclesiæ moribus receptâ; De la pénitence publique et de la préparation à la communion;* **Jac. Sirmondus**, S. J., *Historia pænitentiæ publicæ*, 1651; **J. Morinus**, *Comment. historicus de*

---

[1] *P. G.*, LXXXVIII, 1889. — [2] *P. L.*, LXXX, 223. — [3] *P. L.*, LXXXVII, 978. — [4] *P. L.*, LXXXIX, 401. — [5] *P. L.*, XCIX, 927. — [6] *P. L.*, CXII, 1397. — [7] *P. L.*, CV, 651.

disciplinâ in administratione sacram. Pœnitentiæ, Parisiis, 1651; **Seraphinus a Conceptione**, O. C., *De Pœnitent. virtute ac sacramento*, Romæ, 1674; **Natalis Alexander**, O. P., *Dissertatio polemica de confessione sacramentali*, 1678; **Denis de Ste Marthe**, *Traité de la Confession auriculaire*, Paris, 1685. — *Sæc. XVIII*, **Liberius a Jesu**, O. Carm., *Fœdus timoris et amoris Dei in ministerio sacramentalis reconciliationis*, Romæ, 1713; **Ziegler**, O. S. B., *Pharus navigantium*, seu *de sacram. Pœnitentiæ*, Monachii, 1709; **Cl. Pelletier**, *Traité dogmatique et moral de la Pénitence*, 1728; **P. Collet**, *Tr. de Pœnitentiâ*, ap. *Migne*, Theol. Curs., vol. XXII; **Ant. Magre**, S. J., *Theol. Scholast.*, tr. XII de Pœnit., Ingolstadii, 1732; **P. Straka**, O. Præm., *De sacram. Pœnitentiæ*, Pragæ, 1758-60; **Billuart, Gotti, Wirceburgenses**, *oper. cit.* — *Sæc. XIX*, **Lierheimer**, *Das heilige Busssacrament;* **Tappehorn**, *Anleitung zur Verwaltung des hl. Busssacraments;* **Palmieri**, S. J., *De sacramento Pœnitentiæ*[2], 1896; **Cambier**, *De divinâ Instit. confessionis*, Lovanii, 1884; **L. de San**, *Tr. de Pœnitentiâ*, 1900; **Schmoll**, *Die Busslehre der Frühscholastik*, 1909; **Billot**, S. J., *De Sacramentis*[4], t. II, Romæ, 1906; **Tepe**, S. J., *Instit. theol.*, t. IV, 1896; **Pesch**, S. J., t. VII; **E. Vacandard**, *La confession sacramentelle dans la primitive église*, 1903; *Confession* in *Dict. de Théol.* (*Mangenot*), t. III, 838-894; **P. Batiffol**, *Les origines de la pénitence*, in *Etudes d'hist. et de théol. positive*[3], 1904, p. 45-222; **P. A. Kirsch**, *Zur Geschichte der Katholischen Beichte*, 1902; **A. d'Alès**, *L'Edit de Calliste*, Etude sur les origines de la Pénitence chrétienne, 1914.

Inter **Protestantes** : **Dallæus**, *De sacramentali seu auriculari latinorum confessione*, Genevæ, 1661; **Blunt**, *Sacraments*, London, 1868, p. 179 sq.; **Morgan Dix**, *The Sacramental system*, New York, 1893, p. 92 sq.; **H. C. Lea**, *History of Confestion and Indulgences*, Philadelphia, 1896; **H. B. Swete**, *Penitential discipline in the three first centuries*, in *Journal of theological Studies*, t. IV, 1903, p. 321-327.

Ex decreto ad Armenos.

Quartum sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pænitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio : ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio : ad quam pertinet ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium et eleemosynam. Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cum dicit : Ego te absolvo, etc., et minister hujus sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam vel ex commissione superioris. Effectus hujus sacramenti est absolutio a peccatis.

Conc. Trident. Decreta et Canones de Pænitentiæ sacramento[1].

(*Sess. XIV*).

CAP. I. De necessitate et institutione sacramenti Pænitentiæ.

Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo ipsius beneficio et gratiâ susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordiâ, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, et dæmonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet Pænitentiæ; quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur.

Fuit quidem Pænitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjectâ et emendatâ, tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta ait[2] : "Convertimini et agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris : et non erit vobis in ruinam iniquitas". Dominus etiam dixit[3] : "Nisi pænitentiam egeritis, omnes similiter peribitis". Et princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Baptismo initiandis pænitentiam commendans, dicebat[4] : "Pænitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum".

Porro nec ante adventum Christi Pænitentia erat sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem sacramentum Pænitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens[5] : "Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt". Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit; et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magnâ ratione Ecclesia

[1] Disputationes patrum Tridentinorum de his decretis ac canonibus vide ap. Theiner, *op. cit.*. vol. I. p. 531 sq.

[2] *Ezech.*, XVIII, 30. — [3] *Luc.*, XIII, 3. — [4] *Act.*, II, 38.

[5] *Joa.*, XX, 22-23.

Catholica tanquam hæreticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei et Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi sacramenti institutionem falso detorquent.

CAP. 2. De differentiâ sacramenti Pænitentiæ et Baptismi.

Ceterum hoc sacramentum multis rationibus a Baptismo differre dignoscitur; nam præterquam quod materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet, constat certe Baptismi ministrum judicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. "Quid enim mihi, inquit Apostolus [1], de iis qui foris sunt, judicare?" Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel efficit; nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesiâ Catholicâ nullâ ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit; ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pænitentes confugerint, possent liberari.

Alius est præterea Baptismi, et alius Pænitentiæ fructus : per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes : ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum Pænitentiæ, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus : ut merito Pænitentia laboriosus quidam Baptismus a Sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc sacramentum Pænitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem *necessarium*, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.

CAP. 3. De partibus et fructu hujus sacramenti.

Docet præterea sancta Synodus sacramenti Pænitentiæ *formam*, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse : *Ego te absolvo*, etc.; quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur : ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ.

[1] *I Cor.*, V, 12.

Sunt autem *quasi materia* hujus sacramenti ipsius pænitentis actus, nempe *Contritio*, *Confessio* et *Satisfactio*. Qui, quatenus in pænitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hâc ratione Pænitentiæ partes dicuntur.

Sane vero res et effectus hujus sacramenti, quantum ad ejus vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis et cum devotione hoc sacramentum percipientibus, conscientiæ pax ac serenitas cum vehementi spiritûs consolatione consequi solet. Hæc de partibus et effectu hujus sacramenti sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui Pænitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores et fidem esse contendunt.

CAP. 4. De contritione.

Contritio, quæ primum locum inter dictos pænitentis actus habet, *animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero*. Fuit autem quovis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius; et in homine post Baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiduciâ divinæ misericordiæ et voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.

Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud[1] : " Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum ". Et certe, qui illos Sanctorum clamores consideraverit : " Tibi soli peccavi, et malum coram te feci[2]; Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum[3]; Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ "[4]; et alios hujus generis, facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, et ingenti peccatorum detestatione manasse.

Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate *perfectam* esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto quod in illâ includitur, non esse adscribendam. Illam vero contritionem *imperfectam*, quæ *attritio* dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur,

[1] *Ezech.*, XVIII, 31. — [2] *Ps.* L, 6. — [3] *Ps.* VI, 7. — [4] *Isa.*, XXXVIII, 15.

si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritûs sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pænitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento Pænitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad gratiam in sacramento Pænitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pænitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum Pænitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit; sed et falso docent contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam.

CAP. 5. De confessione.

Ex institutione sacramenti Pænitentiæ jam explicatâ universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere : quia Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad cælos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint : quo pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim sacerdotes judicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, et non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent.

Ex his colligitur, oportere a pænitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum gravius sauciant, et periculosiora sunt iis quæ in manifesto admittuntur : nam venialia, quibus a gratiâ Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum cùm universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, et Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam, cum apertâ et verecundâ confessione, a Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda

exponunt; qui vero secus faciunt, et scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt; si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.

Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant : quod sine illis peccata ipsa neque a pænitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam, quam oportet, pro illis pænitentibus imponere. Unde alienum a ratione est, docere circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse; aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem. Sed et impium est, confessionem quæ hâc ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere aut carnificinam illam conscientiarum appellare : constat enim, nihil aliud in Ecclesiâ a pænitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eâdem confessione inclusa esse intelliguntur : pro quibus fideliter cum Prophetâ dicimus [1] : " Ab occultis meis munda me, Domine ". Ipsa vero hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quæ omnibus digne ad hoc sacramentum accedentibus, per absolutionem certissime conferuntur.

Ceterum, quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publicâ essent confessione aperienda.

Unde cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu, secreta confessio sacramentalis, quâ ab initio Ecclesia sancta usa est, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata; manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, et inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino

[1] *Ps.* XVII, 13.

necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur; unde jam in universâ Ecclesiâ cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimæ : quem morem hæc sancta Synodus maxime probat et amplectitur, tanquam pium et merito retinendum.

CAP. 6. De ministro hujus sacramenti et absolutione.

Circa ministrum autem hujus sacramenti, declarat sancta Synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter episcopos et sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt; putantes verba illa Domini[1] : "Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in cælo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo", et : "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt" ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue, contra institutionem hujus sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata publica quidem per correctionem, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem, cuicumque factam.

Docet quoque, etiam sacerdotes qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritûs sancti in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere, eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt.

Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed *ad instar actûs judicialis*, quo ab ipso velut a judice sententia pronuntiatur; atque ideo non debet pænitens adeo sibi de suâ ipsius fide blandiri, ut etiam si nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit, putet tamen se, propter suam solam fidem, vere et coram Deo esse absolutum; nec enim fides sine pænitentiâ remissionem ullam peccatorum præstaret : nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui sacerdotem jocose absolventem cognosceret, et non alium, serio agentem, sedulo requireret.

[1] *Matt.*, XVIII, 18; *Joa.*, XX, 23.

CAP. 7. De casuum reservatione.

Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesiâ Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur; unde merito Pontifices maximi pro supremâ potestate sibi in Ecclesiâ universali traditâ, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in suâ cuique diœcesi in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos traditâ supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinæ auctoritati, non tantum in externâ politiâ, sed etiam coram Deo vim habere.

Verumtamen pie admodum, ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat, in eâdem Ecclesiâ Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis : atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pænitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt : extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pænitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.

CAP. 8. De satisfactionis necessitate et fructu.

Demum quoad satisfactionem, quæ ex omnibus Pænitentiæ partibus, quemadmodum a Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata; ita una maxime nostrâ ætate, summo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt : sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, et a verbo Dei alienum culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pæna condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus, præter divinam traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritûs Sancti dono, scienter templum Dei

violare, et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ullâ satisfactione peccata dimittantur, ut occasione acceptâ, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.

Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pænitentes efficiunt : medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesiâ Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pænitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur.

Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum : nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus : ita non habet homo unde glorietur : sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pænitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.

Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pænitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere : ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pænitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem : nam claves sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt et docent; nec propterea existimarunt, sacramentum Pænitentiæ esse forum iræ vel pœnarum; sicut nemo unquam Catholicus sensit, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti, et satisfactionis Domini nostri Jesu Christi vel obscurari, vel ex aliquâ parte imminui : quod dum Novatores intelligere nolunt, ita optimam pænitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim et usum tollant.

CAP. 9. De operibus satisfactionis.

Docet præterea, tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis, sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensurâ delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.

CANONES.

1. Si quis dixerit, in Catholicâ Ecclesiâ Pænitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum; A. S.

2. Si quis, sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pænitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo Pænitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; A. S.

3. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris : " Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt ", non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Pænitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; A. S.

4. Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pænitente quasi materiam sacramenti Pænitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem, et satisfactionem, quæ tres Pænitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse Pænitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, quâ credit quis sibi per Christum remissa peccata; A. S.

5. Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; A. S.

6. Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, mo-

dum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; A. S.

7. Si quis dixerit, in sacramento Pænitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debitâ et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum pænitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia; A. S.

8. Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexûs Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ; A. S.

9. Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum : aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri confessionem pænitentis, ut sacerdos eum absolvere possit; A. S.

10. Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : "Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo"; et : "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt" : quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem; A. S.

11. Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat; A. S.

12. Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpâ remitti semper a Deo, satisfactionemque pænitentium non esse aliam, quam fidem, quâ apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; A. S.

13. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pænitentiam esse tantum novam vitam; A. S.

14. Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pænitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratiâ, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; A. S.

15. Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium, sublatâ pœnâ æternâ, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat; A. S.

Objectum Tractatûs.

653. Pænitentia est simul *actus*, *virtus* et *sacramentum*.

Aliquem pænitentiæ *actum* esse necessarium, post peccatum commissum, recta ratio demonstrat. Injuria enim Deo irrogata reparari debet; aliunde, transacto actu peccaminoso gravi, homo remanet ab ultimo fine aversus, donec per pænitentiam a peccato liberetur [1].

Ad actus pænitentiæ exercendos, infunditur in justificatos, juxta communem sententiam, *virtus* pænitentiæ quæ nos inclinat ad detestationem et expiationem peccati.

Præterea Christus instituit *sacramentum*, quo, positis quibusdam pænitentiæ actibus, et, mediante sacerdotis absolutione, remittuntur peccata post baptismum commissa.

De hoc sacramento agemus, paucis tamen prænotatis de *actu* et *virtute* pænitentiæ.

Utilitas hujus Tractatûs desumitur ex necessitate *Fidelibus* exponendi doctrinam de sacramento quod frequenter recipiunt, eamque vindicandi contra impugnationes *Protestantium* ac *Modernistarum*.

[1] Ad rem *Tridentinum* (sess. XIV, cap. 1) : "Fuit quidem Pænitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjectâ et emendatâ, tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur".

PRÆNOTANDA DE ACTU ET VIRTUTE PŒNITENTIÆ.

Dicemus : 1° de ejus *notione*, 2° de ejus *necessitate*.

I. Genuina pænitentiæ notio[1].

654. **1° Etymologica notio.** Pænitentia, juxta plerosque antiquos auctores, derivatur a vocibus *pœnam tenere*, ideoque designat actum quo pœnam subimus ad satisfaciendum pro peccatis.

Verius autem recentiores dicunt pænitentiam originem ducere a *pœne*, seu *penitus*, et etymologice designare aliquid intimum, quod cor ipsum afficit[2].

Apud profanos auctores, hæc vox tria præsertim significat : (a) interiorem *tædii* vel *displicentiæ* sensum; ita apud *Ciceronem*, lib. de Senectute, dicitur : " Num igitur, si centesimum vixisset annum, eum suæ senectutis pæniteret? " (b) *dolorem* ob factum antea admissum, sive bonum sive malum : " Pænitere tunc dicere solemus, cum quæ ipsi fecimus aut quæ de nostrâ voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere sententiamque in iis nostram demutamus "[3]; (c) *dolorem* conceptum de aliquo *crimine* seu *delicto* : " Alexandrum regem videmus, ait Cicero[4], qui cum interemisset Clytum familiarem suum, vix a se manus abstinuit : tanta vis fuit pænitendi ! "

Hoc ultimo sensu auctores *sacri* sæpissime vocem *pænitentiam* usurpant, quatenus nempe significat *animi dolorem de peccato commisso*.

655. **2° Theologica notio.** (A) *Pænitentia ut actus.* Sæpe in Scripturis commendatur *Pænitentia* : quâ voce, ex contextu, significatur complexus actuum qui peccatum tùm in præterito, tùm in futuro respiciunt. Scilicet vir vere pænitens propria peccata commissa retractat ac detestatur, ad ea satisfactione expianda paratus est, et insuper quælibet peccata in futurum devitare proponit. Tres igitur actus præcipuos complectitur : *contritionem* seu detestationem, *firmum propositum* et *satisfactionem* [5].

---

[1] **S. Thom.**, 3 p., q. 85; **Suarez**, *de Pænitent.*, disp. I et VII; **Morinus**, *Commentar. in admin. Pænit.*, lib. I, c. 1-2; **Billuart**, diss. II; **Card. Billot**, *De Pænit.*, th. 6; **L. de San**, *de Pænit.*, P. I, cap. 1-6; **Pesch**, n. 87 sq.

[2] **M. Bréal** et **A. Bailly**, *Diction. étymol. latin*, 1898, p. 240.

[3] **Aulus Gellius**, *Noct. attic.*, l. XVII, c. 1.

[4] **Cicero**, *Tuscul. quæst.*, lib. IV.

[5] Horum actuum genesis sic intelligi potest : quando primum peccator apprehendit peccatum commissum ut *malum*, voluntas illud abominatur ac detestatur, quia malum est; dein animadvertit hoc malum esse sibi *præsens*, in se vel

Insuper, ut sit *salutaris* seu ad Deo reconciliandam animam apta, pænitentia peccatum in ordine ad Deum respicere debet et ex *supernaturali gratiâ motivoque* retractare.

Hinc: (a) *peccatum* est *objectum materiale* pænitentiæ, seu *id quod* contritione, firmo proposito et satisfactione reparatur; (b) *objectum formale* seu motivum pænitentiæ est honestas ipsius reparationis; (c) pænitentia *proprie dicta* respicit peccatum pænitentis *proprium*: id enim tantùm retractare possumus quod nos ipsi commisimus; (d) pænitentia vera et salutaris non solùm est propositum novæ vitæ, ut contendit *Lutherus* cum plerisque *Protestantibus*, sed etiam peccatorum commissorum *detestatio*.

(B) *Pœnitentia ut virtus.* Hanc pænitentiam salutarem fovere possumus etiam postquam justificati sumus, et quidem ope virtutis per se infusæ quam simul cum gratiâ habituali accipimus, juxta communem sententiam (n. 193).

Hæc autem definitur : *virtus supernaturalis et moralis, peccatorem inclinans ad detestationem proprii peccati, quatenus est offensa Dei, et ad firmum emendationis satisfactionisque propositum.*

Subjectum *proximum* hujus virtutis est *voluntas*, quia odium peccati est actus quo *voluntas* a peccato avertitur; hic autem voluntatis actus supponit præviam *intellectûs* cognitionem, quâ peccatum ut malum apprehenditur; insuper *aliquando in appetitum sensibilem* influit, ibi causando sensibilem dolorem seu tristitiam; sed voluntas manet sedes propria pænitentiæ.

Pænitentia, juxta communem sententiam, est *virtus specialis*. Id satis apparet ex eo quod inclinat ad actum speciali honestate præditum, "scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa : quod non pertinet ad rationem alterius virtutis"[1].

Hæc autem virtus ad *justitiam commutativam* refertur, non quidem tanquam pars subjectiva, sed ut *pars potentialis*[2]; per eam siquidem peccator aliquo modo reparat injustitiam erga Deum commissam, non quidem ad perfectam æqualitatem, cùm inter

---

in effectibus, et de eo dolet; non potest autem sincere de peccato dolere, nisi firmiter illud *in posterum vitare* velit; et insuper, cum præteritum malum sit reparandum, jam sponte oritur *voluntas satisfaciendi*, ut infra declaratur.

[1] S. Thom., 3, q. 85, a. 2.

[2] Partes *subjectivæ* alicujus virtutis sunt veluti species in quas dividitur, seu partes quæ plene participant rationem illius virtutis; partes *potentiales*, seu adnexæ, eæ sunt quæ ordinantur ad aliquos actus etiam præcellentiores, ut est actus religionis relate ad justitiam, qui tamen non habent totam rationem hujus virtutis.

Deum et hominem nimia sit disproportio, sed meliori quo fieri potest modo, quatenus peccator Deo satisfacere conatur sicut servus domino et filius patri [1].

Attamen *actus* pænitentiæ ad ceteras virtutes referri potest in eo sensu quod aliquando *imperatur* sive a religione, sive a caritate, etc. [2]

656. 3° **Falsa Protestantium notio.** (A) *Exponitur.* Hæc fluit ex modo quo isti concipiunt peccatum et justificationem.

Cùm homo, juxta *Lutherum*, necessario peccet, pænitentia proprie non consistit in mutatione voluntatis, quæ mala remanet, sed in mutatione sensûs (*sentiment*) relate ad Deum; videlicet sensus terroris, agnito peccato incussus, mutatur in fidem seu fiduciam quâ quis credit propter Christum sibi condonari peccata, et ita justificatur.

Calvinus autem hanc notionem correxit, asserens pænitentiam esse vitæ novæ inceptionem ex fiduciâ ortam, seu " veram ad Deum vitæ nostræ conversionem, a sincero serioque Dei timore profectam, quæ carnis nostræ veterisque hominis mortificatione et spiritûs vivificatione constet " [3].

Ambo contendunt nullam satisfactionem Deo solvendam esse, cùm Christus pro nobis abundanter satisfecerit.

Moderni autem Protestantes, propius veritatem catholicam accedentes, fatentur vitæ novæ inceptionem esse conditionem præviam ad justificationem, et veram pænitentiam complecti humilem confessionem delicti coram Deo, horrorem peccati commissi, atque vitæ emendationem [4].

(B) *Confutatur. Pœnitentia genuina et salutaris non solum est propositum novæ vitæ, sed etiam peccatorum commissorum detestatio.* Certum est.

(a) Quidquid enim dicitur de sensu etymologico vocabulorum *pœnitentia* vel μετάνοια [5], certum est *usu biblico*

---

[1] **S. Thom.**, 3, q. 85, a. 3.

[2] Ita pænitentia aliquid participat aliarum virtutum, ut recte animadvertit **S. Thomas**, 3, q. 85, a. 4. Pænitentia est cum *fide* passionis Christi, per quam justificamur a peccatis, et cum *spe* veniæ, et cum odio vitiorum, quod pertinet ad *caritatem*. In quantum vero est virtus moralis, participat aliquid *prudentiæ*, quæ est directiva omnium virtutum; sed ex ipsâ ratione justitiæ, non solum habet id quod *justitiæ* est, sed etiam quæ sunt *temperantiæ* et *fortitudinis*, in quantum scilicet abstinet ab eis quæ delectationem causant, quod ad temperantiam pertinet, et sustinet dura, quod pertinet ad fortitudinem.

[3] *Institut.*, l. III, c. 3, n. 4.

[4] Cfr. **Bovon**, *Morale chrétienne*, Lausanne, 1897, t. I, p. 224-237.

[5] Vox μετάνοια (μετα, trans, νοῦς, mens) etymologice idem sonat ac transmentatio, seu mentis mutatio, sed ex usu loquendi apud auctores tum sacros

vocabula hujusmodi non tantum simplicem consilii mutationem, sed etiam *præteritæ vitæ detestationem*, significare. 1) Ita dicebat pius *Job* [1] : "Ideo insipienter locutus sum... idcirco ipse *me reprehendo*, et ago pænitentiam in favillâ et cinere"; pariter ait *Psalmista* [2] : "Sacrificium Deo spiritus *contribulatus;* cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies"; nec aliter Prophetæ : "Convertimini, et agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris... et facite vobis cor novum, et spiritum novum" [3]. Porro in his et similibus textibus, præter vitæ mutationem invenire est peccati detestationem; quid est enim *seipsum reprehendere*, cor *contritum* habere, *a peccatis pænitentiam agere*, etc., nisi vitam præteritam detestari? 2) *S. Paulus* pænitentes Corinthios alloquens, explicite *tristitiam* commemorat ut veræ pænitentiæ elementum [4] : "Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pænitentiam... Quæ enim secundum Deum tristitia est, pænitentiam in salutem stabilem operatur".

(b) Consonat ipsa *ratio.* 1) Qui enim resipiscit, et vitam in melius mutat idcirco consilium revocat, quia priorem vitam malam esse intelligit; utquid enim novam duceret, nisi priorem æquitati contrariam esse videret? Atqui sicut amare bonum tenemur, ita et malum odisse, præsertim si fuerit a nobis commissum. Ergo pænitentia peccati detestationem importat. 2) Aliunde reconciliatio cum personâ offensâ plus requirit quam cessationem injuriæ; qui enim ab hominibus veniam petit, primum detestationem ac dolorem injuriæ prius illatæ manifestare debet, ut, hoc dolore mota, persona offensa injuriam condonare velit. Eodem igitur modo peccator sese cum Deo habere debet.

---

tum profanos, tristitiam et dolorem de præterito etiam significat, ut constat ex Lexicis etiam a Protestantibus editis, *Schleusner*, *Robinson*, *Thayer*, etc. Cfr. Morinus, *op. cit.*, lib. I, c. 2. — Idem dici potest de voce *pænitentia;* ex dictis enim supra, hoc vocabulum aliquando significat *displicentiam;* quod confirmatur ex his *Ovidii* versibus (l. I de Ponto, Eleg. I) :

"Pænitet : oh ! si quid miserorum creditur ulli ;
Pænitet, et facto *torqueor* ipso meo".

[1] *Job.*, XLII, 3-6. — [2] *Ps.* L, 19. — [3] *Ezech.*, XVIII, 30 sq.
[4] *II Cor.*, VII, 9-10.

II. De pænitentiæ necessitate[1].

657. 1° **Status quæstionis.** Quæstio est de homine peccatore, et de necessitate tum *medii* tum *præcepti*, et quidem actûs pænitentiæ *formalis* aut *virtualis*. Jamvero *omnes* Catholici docent pænitentiam in genere, id est quamdam peccati detestationem ac retractationem, necessariam esse *necessitate medii*, posito peccato mortali.

(a) *Scotistæ* autem tenent *virtualem* actum pænitentiæ sufficere; multi *Thomistæ* putant requiri actum *formalem; Suarez* autem distinguit dicendo actum formalem *per se* requiri, quando quis de suis peccatis cogitat, sed *per accidens* remissionem peccati per actum virtualem pænitentiæ obtineri posse, quando quis, ex oblivione vel inconsideratione, de peccatis suis non cogitat; quam opinionem ut probabiliorem amplectimur.

(b) *Victoria*[2] negat esse *speciale præceptum* pænitendi, ideoque impænitentiam esse speciale peccatum : textus enim Scripturæ, ait, intelligi debent de necessitate medii quæ non est semper conjuncta cum præcepto : ita, v. g., gratia sanctificans, licet ad salutem necessaria, non cadit sub præcepto. Sed hæc opinio communiter a theologis rejicitur.

658. 2° *Thesis :* **Supposito peccato mortali, certum est actum saltem virtualem pænitentiæ necessarium esse necessitate medii in præsenti ordine; communiter tenetur eum necessarium esse necessitate præcepti.**

Dixi : 1) *posito peccato mortali*, quo nempe avertimur a Deo, fine ultimo; si peccatum est veniale tantum, pænitentia, quamvis exoptabilis, necessaria non est ad salutem; 2) *in præsenti ordine*, seu de potentiâ ordinatâ, quia nonnulli theologi putant Deum posse, de potentiâ suâ absolutâ, condonare peccatum et gratiam infundere absque ullo actu peccatoris; attentis autem suis attributis, præsertim sapientiâ, justitiâ et sanctitate, non potest.

(A) Quoad *necessitatem medii.* (a) *Script.* Id enim necessarium est necessitate medii quod ita cum fine conjunctum est, ut sine eo finis obtineri nequeat? Atqui, posito peccato gravi, salus ita cum pænitentiâ conjungitur, ut sine eâ haberi non possit. 1) In *Vet. Testamento* legitur : " Si pænitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum

---

[1] **S. Thom.**, 3 p., q. 86, a. 2; **Suarez**, disp. IX et XV; **Salmant.**, disp. IV, dub. 2; disp. V, dub. 6; **Drouin**, q. I, c. 3; **Palmieri**, th. 7; **de Augustinis**, th. 11; **Sasse**, th. 6. — [2] *Tr. de septem Sacram.*, q. 21.

adversus eam, agam et ego pænitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei... si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pænitentiam agam super bono quod locutus sum ut facerem ei " [1]; " Si autem impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis... vitâ vivet et non morietur... si autem averterit se justus a justitiâ suâ, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur; in prævaricatione quâ prævaricatus est, et in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur " [2]. 2) Nec aliter in *Nov. Testamento :* " Si pænitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis " [3]; " Pænitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra " [4], quasi diceretur : conditio necessaria ut deleantur peccata vestra est quod pænitentiam agatis. Ergo, in præsenti ordine, pænitentia cum remissione peccati jungitur sicut *medium* cum fine.

(b) *Tradit.* Ex *Tridentino* superius allegato : " Fuit quidem pænitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinâssent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria". Ex quo sequitur pænitentiam necessariam esse necessitate medii, cum omni tempore, etiam antequam lex positiva condita fuisset, ad remissionem peccati requireretur.

(c) *Rat. theol.* Peccator salvari nequit nisi prius a Deo remissionem peccati sui impetraverit. Atqui sine pænitentiâ Deus peccata remittere nequit : 1) *sapientia* vetat ne sibi reconciliet, nec in suam amicitiam recipiat quem a se voluntarie aversum, et in peccati amore obstinatum cognoscit : hoc enim nihil aliud esset nisi peccatum ipsum fovere et præmiari; 2) *justitia* prohibet ne offensa remittatur sine aliquâ reparatione; 3) *sanctitas* ne sibi uniat aliquid impurum peccato adhuc adhærens.

659. (B) Quoad *necessitatem præcepti.* (a) *Script.* 1) Textus allati satis clare manifestant Deum velle ut omnes pænitentiam agere teneantur. 2) Præterea, teste Scripturâ, qui pænitere renuit, *inobedientiæ* convincitur, et quidem

---

[1] *Jerem.*, XVIII, 8-10.
[2] *Ezech.*, XVIII, 21-27. — [3] *Luc.*, XIII, 5. — [4] *Act.*, III, 19.

gravis, cùm gravi puniatur pœnâ : " Quia vocavi et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret,... ego quoque in interitu vestro ridebo " [1]. Aliunde Christus sub formâ *præcepti* pænitentiam prædicavit : " Exinde cœpit Jesus prædicare et dicere : *Pænitentiam agite;* appropinquavit enim regnum cælorum " [2].

Frustra autem objicitur gratiam, licet ad salutem necessariam, non cadere sub speciali præcepto; gratia siquidem, utpote *donum Dei*, non præcipitur; pænitentiæ vero actus, ab *homine eliciendus*, sub præcepto cadit.

(b) *Rat.* 1) Quisque tenetur, ex *præcepto justitiæ*, reparare injuriam alteri illatam, ideoque peccatum mortale quod gravem injuriam Deo irrogavit. 2) Cuique præcipitur spiritualis salutis curam habere; atqui peccator animam suam salvare nequit, nisi de peccatis gravibus pæniteat; ergo vi *caritatis erga seipsum* pænitentiam agere tenetur.

Divisio Tractatûs.

660. Pænitentia, prout *sacramentum*, definitur : *Sacramentum Novæ Legis a Christo institutum, quo, per juridicam sacerdotis absolutionem, homini contrito, confesso et satisfactionem promittenti, remittuntur peccata post baptismum commissa.*

Dicitur : (a) *quo per juridicam sacerdotis absolutionem*, ut sic declarentur *forma* hujus sacramenti, videlicet absolutio sacerdotis cui divinitus commissa est *potestas clavium; minister* seu sacerdos; et *modus* quo ministratur, nempe judicialis forma; (b) *homini contrito*, etc., quibus verbis designantur tum *subjectum*, tum subjecti *dispositiones*, contritio, confessio et votum satisfaciendi, quæ, juxta multos, sunt etiam *materia proxima* sacramenti; (c) *remittuntur peccata*, etc., et ita exprimuntur non solum *effectus* præcipuus, sed etiam *materia remota* sacramenti, videlicet omnia peccata, sive mortalia, sive venialia, post baptismum commissa.

Quam definitionem legitimam esse ostendemus, tria expendendo :

I. *Potestatem clavium* Ecclesiæ concessam;
II. *Actus pænitentis* ad exercitium hujus potestatis requisitos;
III. *Naturam* sacramenti, prout ex his duobus inferri potest.

---

[1] *Prov.*, I, 24-33. — [2] *Matt.*, IV, 17.

In *Appendice*, de *Indulgentiis* agemus, quibus remittitur *pœna* peccatis debita.

Ratio divisionis hæc est : juxta *Tridentinum*, Dominus sacramentum Pænitentiæ tunc præcipue instituit quando apostolis contulit potestatem remittendi peccata, quæ *potestas clavium* dicitur : hanc igitur exponere ante omnia necesse est. Quia vero hæc non exercetur nisi *positis* quibusdam *pænitentis actibus*, nempe confessione, contritione et satisfactione, de iis postea agendum est. Cùm autem ex exercitio potestatis clavium et ex actibus pænitentis constituatur *ipsum sacramentum*, de eodem disputare oportet, describendo ejus *materiam* et *formam* necnon *effectus*.

Caput j.

DE POTESTATE CLAVIUM ECCLESIÆ COLLATA.

Duo expendemus : 1° *num* hæc potestas vere a Christo collata fuerit ; 2° *quinam ministri* eam exercere valeant.

Art. I. De ipsâ potestate clavium, quatenus vere fuit Ecclesiæ collata.

661. **Status quæstionis.** 1° *Natura hujus potestatis declaratur.*

(A) Per potestatem clavium *in genere* intelligitur plenitudo potestatis Ecclesiæ a Christo concessæ ad regendos fideles in ordine ad vitam æternam. Quæ triplex est : potestas *leges ferendi*, — ad normam legum *judicandi*, — judicia *exsequendi* per *coactionem* seu *coercitionem*.

Ad *judicialem* potestatem pertinet potestas remittendi et retinendi peccata, quæ *in foro interno* exercetur. Ecclesia enim judicat tùm in foro externo, seu directe in commodum *societatis* fidelium, tum in foro interno, seu directe in commodum *singulorum* fidelium.

(B) Potestas clavium, prout *hìc sumitur*, est potestas *judicandi de statu conscientiæ interno*, seu potestas *remittendi ac retinendi peccata* etiam in *foro interno coram Deo;* ideoque potestas regendi fidelium conscientiam in suis intimis relationibus ad Deum.

Duplex est : (a) potestas novas statuendi obligationes quas implere debeat pænitens ut a suis peccatis liberetur, seu potestas pœnas imponendi; (b) potestas debita spiritualia solvendi coram Deo, seu remittendi peccata.

(C) Quæ quidem potestas est : (a) *supernaturalis*, ab ipso Deo gratiæ auctore *delegata*, qui solus tanquam causa principalis peccata remittere valet; (b) in suo genere *suprema*, cùm sit quædam participatio divinæ potestatis; (c) vere *efficax*, id est, ligans aut liberans ipsam conscientiam. (d) Attamen *non est absoluta*, cùm ejus exercitium et efficacia pendeat a certis conditionibus ab ipso Deo statutis, quas servare debeant tum minister tum pænitens; (e) nec *infallibilis*, cùm Dei minister, etsi *auctoritative* de statu interno pænitentis judicans, præ humanâ infirmitate errare valeat. Deus utique ratam habet in cælis ministri sententiam, sed tantum positis ponendis, seu impletis conditionibus requisitis ex parte ministri et ex parte pænitentis.

662. 2° *Errores.* Præter *Montanistas* et *Novatianos*, de quibus mox suo loco agemus, *Protestantes* potestatem clavium diverso modo impugnaverunt. Horum principium generale est justificationem, ideoque peccatorum remissionem, fieri *per fidem* seu *fiduciam* (supra, n. 157).

(a) *Lutherus* quidem diu anceps mansit, nunc agnoscens, tunc rejiciens hujusmodi sacramentum; quam hæsitationem imitati sunt ejus discipuli[1]. Attamen absolutio, juxta ipsos, vim solum habet *declarandi*, non autem efficiendi peccatorum remissionem. (b) *Calvinus* aperte sacramenti existentiam negavit, docens Pænitentiam non vere a Baptismo, vel *Baptismi memoriâ* distingui; per Baptismum non deleri peccatum, sed tantum testimonium præberi peccata fide remissa fuisse, seu potius non imputari; in memoriam baptizati, subsequentibus peccatis territi, revocandum esse Baptismum antea collatum, ut pignus justificationis pro totius vitæ cursu acceptæ; quæ *baptismi memoria* nihil aliud est nisi *Pænitentia*, quâ renovatur

[1] Hinc in Conf. *Augustanâ* (a. 12) legitur : " De Pænitentiâ docent, quod lapsis post Baptismum contingere possit remissio peccatorum, quocumque tempore cum convertuntur; et quod Ecclesia talibus redeuntibus ad pænitentiam absolutionem impertiri debeat ". (Apud Schaff*, *Creeds*, vol. III, p. 14).

peccati displicentia novæque vitæ propositum[1]. (c) *Anglicani* agnoscunt a presbyteris absolvi posse tum moribundos tum publice communicaturos, immo utilitatem confessionis admittunt, non autem ejus necessitatem[2]. (d) *Ritualistæ* præterea docent absolutionem esse sacramentum, unum videlicet ex *minoribus* sacramentis; non enim inter *majora* sacramenta recensent nisi baptismum et cœnam.

663. (e) Nostris diebus, americanus protestans *H. C. Lea*[3], Dallæi argumenta renovans, divinam institutionem confessionis et absolutionis ita impugnat : 1) Christus in Evangelio, qui sæpe inculcat Deum in spiritu et veritate colendum esse, nullum ritum externum instituit ad remittenda peccata, sed tantum dilectionem et cordis pænitentiam exigit. 2) Potestas remittendi peccata aliquo ritu sacramentali minime agnoscebatur primis Ecclesiæ sæculis. Vigebat quidem disciplina quædam pænitentialis, sed vim habebat solum in *foro externo*, ad reconciliandos peccatores cum Ecclesiâ, non autem cum Deo. 3) Patres docent multa esse media ad peccatorum remissionem consequendam, sed inter ea absolutionem sacerdotalem non commemorant. 4) Ceteroquin absolutionis verba, super pænitentes recitata, nihil aliud sunt nisi preces quibus sacerdotes enixe a Deo flagitabant veniam peccatorum, minime vero formæ sacramentales gratiam conferentes.

Idem fere docent hodierni *Liberales*[4] et *Modernistæ*[5].

[1] "Sic autem cogitandum est, quocumque baptizemur tempore, nos semel in omnem vitam ablui et purgari : itaque quoties lapsi fuerimus, repetenda erit Baptismi memoria, et hâc armandus animus, ut de peccatorum remissione semper certus securusque sit ; nam, etsi administratus præteriisse visus sit, posterioribus tamen peccatis non est abolitus". (Calvinus, *Instit.*, l. IV, c. 15).

[2] Ante communionem, hæc ab Anglicanis ministris dicuntur : "Si in medio vestrum quis reperiatur cujus conscientia in angoribus et in angustiis versetur, atque consolatione vel consilio indigeat, ad me vel ad alium prudentem, doctum ac in lege Dei peritum sacerdotem confugiat; confiteatur et detegat secreto peccata sua suosque angores, ut monita salutaria, consilia necnon solatia recipere possit, et per nos Dei et Ecclesiæ ministros, fidentiam et absolutionem obtineat". Cfr. **Blunt***, *The sacraments*, London, 1868, p. 190; **Morgan Dix***, *The sacramental system*, New York, 1893, p. 82-104. — Protestantium doctrinam expositam vide ap. **Vacant**, *Dict. de Théol.*, t. I, c. 214-229.

[3] *A history of auricular confession and indulgences*, 1896.

[4] **A. Harnack***, *Dogmengeschichte*[4], t. I, p. 439-444, contendit Ecclesiam primitivam minime consciam fuisse potestatis remittendi peccata; usque ad finem sæculi II[1] a sinu suo in perpetuum ejecisse christianos gravissimorum delictorum reos; tertio sæculo *Callistum* sibi vindicasse potestatem impudicitiam remittendi; apostatas vero nonnisi a sæculo IV° fuisse absolutos.

[5] *Modernistarum* error, secundum decretum *Lamentabili* (n. 46), ita contrahitur : "Non adfuit in primitivâ Ecclesiâ conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiæ reconciliato, sed Ecclesia nonnisi admodum lente hujusmodi conceptui assuevit. Immo, etiam postquam pænitentia tanquam Eccle-

Contra quos errores doctrinam catholicam exponemus ac vindicabimus, Scripturæ et priorum Patrum textus critice expendendo.

664. *Thesis* : **Christus Ecclesiæ contulit potestatem remittendi et retinendi omnia peccata post baptismum commissa, et quidem actu vere judiciali.**

De fide est ex sequentibus *Tridentini* canonibus[1] : 1. "Si quis dixerit, in Catholicâ Ecclesiâ Pænitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro fidelibus, *quoties* post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum ; A. S. "

3. "Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris : "Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt", non esse intelligenda *de potestate remittendi et retinendi peccata* in sacramento Pænitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem huius sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; A. S."

9. "Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse *actum judicialem*, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum : aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri confessionem pænitentis, ut sacerdos eum absolvere possit; A. S."

Concilium igitur docet : (a) *potestatem remittendi et retinendi peccata* vere fuisse *Apostolis eorumque successoribus collatam;* (b) eam exerceri posse in catholicâ Ecclesiâ non semel aut iterum, sed *quoties* fideles post baptismum *in peccata labuntur*, ideoque nullum peccatum irremissibile esse; (c) hanc autem potestatem non esse nudum ministerium declarandi remissa esse peccata, sed *actum vere judicialem* quo sacerdotes ipsi Deo reconciliant peccatores ceteroquin bene dispositos.

§ I. Thesis Scriptura probatur[2].

Duo prænotamus : (a) Christum, dum in terris viveret, exercuisse potestatem remittendi peccata libero actu volun-

siæ institutio agnita fuit, non appellabatur sacramenti nomine, eo quod haberetur uti sacramentum probrosum". — [1] Sess. XIV, can. 1, 3, 9.

[2] Cfr. Corluy, *Spicilegium Dogmatico-biblicum*, Gandavi, 1884, t. I, p. 33-51; t. II, p. 438-452; Vacant, *Dict. de Théol.*, t. I, p. 138-145; A. d'Alès, *L'édit de Calliste*, 1914, p. 12-51.

tatis suæ, v. g., in casu paralytici et mulieris peccatricis; (b) eumdem modo generali Apostolis contulisse omnem potestatem sibi a Patre commissam ad salutem animarum promovendam. Jamvero omnino improbabile est ab hâc generali missione seu delegatione exceptam fuisse potestatem clavium.

Revera, sedulo inspectâ Scripturâ, duo constant : 1° Apostolis eorumque successoribus *promissam* fuisse *potestatem clavium*, in cujus amplitudine continetur *potestas remittendi peccata;* 2° hanc vero potestatem eis fuisse *collatam* ipso resurrectionis die.

665. 1° *Hanc potestatem fuisse promissam*, constat ex verbis Christi ad Petrum : " Et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam; et tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cælis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cælis " [1]. Item ex Christi verbis ad omnes Apostolos postea directis [2] : " Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cælo ".

(a) Petro itaque promittuntur *claves regni cælorum*, id est potestas jurisdictionis super *universam Ecclesiam*, quam Christus regni cælorum nomine designat, ut constat ex verbis antea prolatis : " super hanc petram ædificabo *Ecclesiam meam* ". Jamvero *claves tradere* alicujus domûs aut civitatis idem est ac auctoritatem conferre eam claudendi et aperiendi, seu supremam auctoritatem, ut constat ex usu loquendi apud auctores sacros et profanos [3].

666. (b) Quænam sit autem *natura* hujus potestatis sequentia verba declarant : " *quodcumque ligaveris... quodcumque solveris...* " Fatemur equidem hæc verba duplicem sensum *historice* præ se ferre : quandoque nihil aliud significant nisi *declarare* rem esse licitam vel non (v. g., in Tal-

[1] *Matt.*, XVI, 18-19. — [2] *Matt.*, XVIII, 18.

[3] Ita quando Eliacim substituitur Sobnæ, templi aut domûs regiæ præposito, dicitur : " Et dabo clavem domûs David super humerum ejus " (*Isa.*, XXII, 22); pariter quando Christus gloriosus vult significare sibi traditam fuisse omnem potestatem, ait : " Et habeo claves mortis et inferni " (*Apoc.* I, 18).

mude legitur : Rabbi M solvit, Rabbi N ligat, id est, prior asserit rem esse licitam, posterior autem non licere); alias autem designant potestatem *legislativam* et *judiciariam*. Hunc porro esse sensum in *præsenti loco* constat ex contextu : 1) Christus enim Apostolis propriam auctoritatem promittit; atqui hæc auctoritas non est tantum *declarativa*, sed simul *legislativa* et *judiciaria;* ergo Christus Apostolis promittit potestatem leges ferendi, obligationes imponendi, necnon judicium ferendi et vincula solvendi quæ fideles ab ingressu cæli prohibere possunt, præsertim vero peccata quæ sunt unum e præcipuis vinculis; 2) quod consonat cum priori parte textûs, ubi traditur potestas clavium seu claudendi et aperiendi cælum, ideoque tollendi peccatum quod cæli ingressui obstat; 3) et firmatur ex loco parallelo, ubi eadem potestas Apostolis confertur relate ad peccata [1].

Hanc autem potestatem non solum forum externum attingere, sed ipsam *conscientiam*, patet ex eo quod Deus *ratum habet in cælo* quodcumque Ecclesia ligaverit aut solverit in terrâ.

667. (c) Quod Christus primum soli Petro promiserat, paulo post *omnibus simul apostolis* pariter promisit; eis non tradit quidem potestatem clavium seu potestatem supremam, sed potestatem ligandi atque solvendi, *dependenter a Petro* exercendam.

(d) In utroque casu, hìc agitur de potestate *in ipsam Ecclesiam* exercendâ, non autem in eos qui foris sunt : " Ædificabo Ecclesiam, et tibi dabo claves... " Pariter, quando agitur de potestate Apostolis collatâ, prius commemoratur Ecclesia : " Dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit...". Potestas hujusmodi *distinguitur proinde a potestate baptizandi*, quæ exercetur in eos qui foris sunt, ut hi in Ecclesiam introducantur.

Præfatum argumentum, etsi generale, est omnino validum. Ejus vis ex verbis S. Joannis et Patrum auctoritate firmatur; jam enim S. Pontifex *Callistus* hoc textu uteba-

[1] *Matt.*, XVIII, 15-18. Ibi enim agitur de peccatis remittendis aut retinendis : " Si autem *peccaverit* (*in te* deficit in optimis codicibus) frater tuus... dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis, etc. "

tur ad probandum sibi inesse facultatem remittendi peccata; *Tertullianus* autem, etsi Montanista, hunc sensum non negabat, sed solum dicebat hanc potestatem Petro collatam ad solos *spirituales* transmissam fuisse [1].

668. 2° Quam promiserat potestatem Christus Apostolis *contulit;* siquidem a mortuis redivivus, stetit in medio discipulorum et dixit eis [2] : " Pax vobis... sicut *misit* me Pater, et ego *mitto* vos. Hæc cum dixisset, *insufflavit* et dixit eis : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt* ".

Quæ quidem verba sunt veluti *authentica declaratio* quâ speciatim definitur una ex multis potestatibus Petro et Apostolis jam promissis in præfatis textibus. Potestas enim de quâ hìc agitur, non est, ut volunt Protestantes, mera facultas prædicandi remissionem peccatorum, vel declarandi peccata pænitentibus esse remissa, sed potestas *vere remittendi* peccata; — non solum quoad pœnam, sed etiam quoad *culpam;* — ad *omnia peccata* se extendens; — *modo judiciali* exercenda; — ideoque *non coarctata ad potestatem peccata remittendi per baptismum.* Quod successive declarabimus.

(a) Potestas hìc concessa est potestas non tantùm declarandi peccata esse remissa, ut volunt *Protestantes*, sed *vere remittendi peccata*, ut e præcipuis verbis colligitur : 1) Christus declarat missionem Apostolis dandam similem esse missioni quam Ipse a Patre accepit; jamvero Christus non solum prædicaverat remissionem peccatorum, sed ea Ipse dimiserat, immo ad hoc venerat in mundum ut ea destrueret [3]. 2) Verbum *remiseritis* (gr. ἀφῆτε) est activum, et talem remissionem significat, quæ fiat per actionem positivam et efficacem, non per meram declarationem remissionis jam factæ; confirmatur ex aliâ voce *retinueritis* (κρατῆτε), quæ pariter actionem positivam denotat. 3) Aliunde in secundo inciso additur : " *remittuntur eis, retenta sunt* "; quod quidem, juxta ipsos Protestantes, idem sonat ac *vere remittuntur* vel *vere retenta sunt;* ergo, vi paralle-

[1] Tertul., *De pudicitiâ*, c. 21, *P. L.*, t. II, c. 1025. — [2] *Joa.*, XX, 21-23.
[3] *Matth.*, IX, 2-8; *Luc.*, V, 20; VII, 47; *Apoc.*, I, 5.

lismi, priora verba, *remiseritis*, *retinueritis*, eodem sensu intelligi debent.

(b) Hanc potestatem attingere non tantum reatum pœnæ, sed etiam *reatum culpæ*, constat : 1) Christus enim utitur verbis ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, quibus antea usus fuerat ad significandam peccatorum remissionem quoad culpam [1]; 2) Apostoli, remittendo peccata, agunt nomine Christi et Spiritûs Sancti, qui peccata remittunt quoad culpam [2].

(c) Hæc potestas *ad omnia peccata se extendit* : 1) constat ex eo quod nulla limitatio apponitur : " quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ", et græcus textus ἄν τινων ἀφῆτε clare designat *omnes* peccatores posse veniam consequi; 2) confirmatur ex loco parallelo : " *Quæcumque* solveritis super terram, erunt soluta et in cælis ".

(d) Eadem potestas exerceri debet *actu judiciali*, id est : 1) *causam instruendo* : duplex enim confertur potestas, peccata tam remittendi quam *retinendi;* jamvero hujusmodi potestas debet exerceri *prudenter*, videlicet præmittendo juridicam materiæ investigationem. 2) *Sententiam ferendo* : causâ enim instructâ, sententia pronuntiari debet quâ peccata auctoritative remittantur vel retineantur, secundùm dispositiones pænitentis, quâ conditiones præscribantur ad remissionem peccatorum adimplendæ, onera et satisfactiones imponantur pro peccatis commissis; ut ita exerceatur potestas ligandi æque ac solvendi.

(e) Hæc potestas non coarctatur ad *potestatem remittendi peccata per baptismum*, sed complectitur etiam facultatem dimittendi peccata *post baptismum commissa*. Verba enim Apostoli : 1) *universalia* sunt; 2) supponunt hanc potestatem *indefinite* et *modo judiciali* exerceri : quod quidem de pænitentiâ potiusquam de baptismo intelligitur, cùm hic nonnisi semel conferatur, nec proprie ad modum judicii.

Ex his igitur S. Joannis verbis, et ex modo quo communiter intellecta fuerunt jam a sæculo III [3], merito infertur Apostolis eorumque successoribus vere fuisse concessam

[1] *Marc.*, II, 17; *Matth.*, XVIII, 11; *Luc.*, XIX, 10; cf. *Rom.*, V, 10, 18, 19.
[2] *Marc.*, II, 17; *Matth.*, XVIII, 11; *Luc.*, XIX, 10; *Rom.*, V, 10, 18, 19; *I Cor.*, VI, 11.
[3] Quod infra demonstrabitur, n. 689.

potestatem remittendi, ritu judiciali, omnia peccata post baptismum commissa [1].

669. 3° *Confirmatur* ex ratione agendi Apostolorum. (a) Videmus enim Apostolos exercuisse potestatem *ligandi* seu pœnas imponendi ad correptionem et emendationem peccatorum, v. g., in casu incestuosi Corinthii [2]; (b) ex quo infertur Apostolos etiam exercuisse potestatem *solvendi;* nam peccator traditur pœnis quibusdam temporalibus ut postea justificetur et ejus "spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi" [3]; et ita jam apparet inter pœnam canonicam et remissionem peccati nexus, qui postea in disciplinâ pænitentiali manifesto exhibetur [4].

Notandum est insuper : (a) Apostolis evidenter persuasum fuisse *omnia* peccata, etiam *gravissima*, ante judicium condignâ pænitentiâ *remissibilia* esse [5]; (b) potestatem clavium apostolicis temporibus fuisse exercitam, *non* tamen *eodem modo ac nunc* exercetur : 1) videlicet *non frequenter*, quia *minora* seu venialia peccata tunc potestati clavium subjici non solebant, et aliunde *majora* rarius committebantur; 2) cum *quâdam severitate*, quatenus ardua pænitentia peccatoribus imponebatur antequam absolutio concederetur. Cùm enim Christus non determinâsset modum quo potestas clavium exerceretur, ad Ecclesiam spectabat, pro diversitate temporum, hunc definire ad majorem fidelium utilitatem.

670. *Solvuntur difficultates* contra quorumdam peccatorum remissibilitatem [6]. (a) Christus videlicet Pharisæis dixit : "Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus : Spiritûs autem blasphemia *non remittetur*" [7]. — *Resp.* Contextu inspecto, peccatum de quo agitur est illud quo opera manifestè divina, ut miracula ad divinitatem missionis Christi probandam facta, diabolo ascribuntur, sicque *deliberate et pertinaciter fidei lumini clauduntur oculi;* agitur enim de Pharisæis qui dicebant Christum in Beelzebub ejicere dæmonia. Jamvero illud peccatum dicitur *non remitti*, non quod nunquam dimittitur, sed quia *ex se nullam excusationem habet*, nullam veniam meretur; vel, juxta alios, quia *difficilius* remittitur, non quidem ex defectu potestatis aut voluntatis in Deo ejusque ministris, sed quia difficile est peccatorem, qui pertinaciter gratiæ mediis abusus est, sincere pænitere. Quod sic optime declarat *S. Thomas* [8] : "Qui

[1] Merito itaque a *S. Officio* (dec. *Lamentabili*) reprobata est sequens Modernistarum propositio 47 : "Verba Domini *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata*, etc., minime referuntur ad sacramentum Pænitentiæ, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit".

[2] *I Cor.*, V, 3, 5. Cf. *II Thess.*, III, 14-15; *Tit.*, III, 10. — [3] *I Cor.*, V, 5.

[4] Alia exempla hujus exercitii affert A. d'Alès, *op. cit.*, p. 38-51.

[5] *II Cor.*, XII, 20-21; *Apoc.*, II, 19-23.

[6] Cfr. A. d'Alès, *op. cit.*, p. 21-38.

[7] *Matth.*, XII, 31. — [8] *Sum. theol.*, 2^a $2^{æ}$, q. 14, a. 3.

enim ex ignorantiâ vel infirmitate peccat, minorem pœnam meretur; qui autem ex certâ malitiâ peccat, non habet aliquam excusationem, unde ejus pœna minuatur. Similiter etiam qui blasphemabat in Filium hominis, ejus divinitate nondum revelatâ, poterat habere aliquam excusationem propter infirmitatem carnis, quam in eo aspiciebat, et sic minorem pœnam merebatur. Sed qui in ipsam divinitatem blasphemabat, opera Spiritûs S. diabolo attribuens, nullam excusationem habebat, unde ejus pœna diminueretur". Pergit S. Doctor exponendo peccatum in Spiritum S. etiam irremissibile dici secundum naturam suam, in quantum excludit fidem, ideoque ea per quæ fit remissio peccatorum; sicut morbus insanabilis dicitur secundum naturam morbi, per quem tollitur id per quod morbus curari potest.

Alii tamen, cum *S. Augustino*[1], tenent peccatum hujusmodi esse *finalem impœnitentiam*, quæ nullo modo remittitur, quia peccatum mortale in quo homo perseverat usque ad mortem, neque in hâc vitâ neque in futurâ remitti potest. Quæ tamen expositio aliena esse videtur a contextu.

671. (b) Allegantur verba *ep. ad Hebræos* : "*Impossibile est* enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, et participes facti sunt Spiritûs S., gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi et prolapsi sunt, *rursus renovari ad pœnitentiam*"[2]. — *Resp.* Hìc agitur de *apostatis*, qui, post receptum Baptismum (*illuminati*), post receptam Eucharistiam et Confirmationem (*donum cæleste... participes Spiritûs S.*), ad judaismum aut paganismum revertebantur, et, juxta quosdam Patres et Theologos, declaratur eos non posse renovari *per Baptismum*, cùm hujusmodi sacramentum non sit iterabile. Quam interpretationem tradit *S. Athanasius*[3] : "Neque, ait, impossibile est pænitere, sed impossibile est obtentu pænitentiæ nos renovari. Est autem ingens inter hæc dicta discrimen. Is enim quem pænitet, peccare quidem desinit, retinet tamen vulnerum cicatrices. Qui autem baptizatur, veterem exuit hominem, et renovatur superne genitus Spiritûs gratiâ". — Alii autem permulti, et quidem probabilius, verbum *impossibile* intelligunt de magnâ difficultate, de *morali* non autem physicâ impossibilitate, ita ut sensus sit admodum difficile esse apostatas ad veram fidem redire. Simili fere modo intelligi possunt sequentia verba : "Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam *non relinquitur pro peccatis hostia*, terribilis autem quædam exspectatio judicii"[4]; siquidem hìc etiam agitur de *apostatis*, qui, quatenus in apostasiâ manent, carent hostiâ pro peccatis, sicut qui voluntarie extra Ecclesiam manent,

[1] *Sermo* LXXI, *P. L.*, XXXVIII, 445-467.
[2] *Hebr.*, VI, 4 sq.
[3] *Ep.* IV ad Serap., n. 13, *P. G.*, XXVI, 655. — [4] *Hebr.*, X, 26.

sunt extra viam salutis; nec tamen exinde præcluditur possibilitas ad fidem christianam redeundi, in quâ offertur pro peccatis[1].

(c) Opponuntur etiam verba *Joannis*[2]: "Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est *peccatum ad mortem*, non pro illo dico, ut roget quis". — *Resp.* Quodnam sit illud peccatum ad mortem, disputant theologi et commentatores : probabilius putamus hìc agi de peccato *odii* quo quis *obstinate* fratres suos prosequitur. Apostolus autem non declarat tale peccatum irremissibile esse, sed solum præceptum pro proximo orandi ad eos qui tali peccato se inquinârunt non extendi; quia, propter sui peccati enormitatem, hoc merentur ut a fidelibus relinquantur sicut ethnici et publicani; aliis verbis isti peccatores privantur publicis Ecclesiæ suffragiis, sicut hodie excommunicati.

§ II. Thesis Traditione probatur[3].

Prænotanda.

672. 1° **Status quæstionis.** Cùm hodie Protestantes *liberales* contendant Ecclesiam reconciliâsse peccatores *in foro externo tantum*, quatenus nempe iterum in sinum suum recipiebat eos quos, ob peccata, excommunicaverat, nostri propositi est ostendere eos etiam *in foro interno* et *coram Deo* remissionem peccatorum consecutos esse.

673. 2° **Argumentum generale.** Antequam vero singulos textus declaremus, *generale argumentum* præbere expedit, probando reconciliationem cum Ecclesiâ involvere etiam reconciliationem cum Deo, attentis Scripturæ et Patrum testimoniis. Duplici probatur argumento : (A) Ex

[1] Cfr. **A. Lemonnyer**, O. P., *Epîtres de S. Paul*, Paris, Bloud. 1905, t. II, p. 221-223. — [2] *I Joa.*, V, 16.

[3] **Petavius**, *op. cit.;* **Morinus**, *op. cit.*, lib. I, c. 3-7; c. 16-19; lib. III-VII; **Palmieri**, *op. cit.*, thes. IX-XI; **L. de San**, *op. cit.*, n. 180-245; **F. Pignataro**, *De disciplinâ pœnitentiali priorum Ecclesiæ sæcul.*, Romæ, 1904: **Funk**, *Zur altchristlichen Bussdisziplin*, Paderborn, 1897; **Boudinhon**, *Sur l'histoire de la pénitence*, in *Revue d'hist. et de Littér. relig.*, t. II, 1897, pp. 306, 496; **Vacandard**, in *Rev. du Clergé français*, t. XIV, p. 192; t. XV, p. 195, etc. ; et ap. **Vacant**, *Dict. de Théologie*, t. I, p. 145-168; **Batiffol**, *op. cit.;* **Swete**, *l. cit.;* **Casey**, *Notes on a history of auricular confession*, Philadelphia, 1889; **P. A. Kirsch**, *op. cit.;* **Gartmeier**, *Die Beichtpflicht*, 1905: **G. Rauschen**, *Eucharistie und Busssakrament in den ersten Jahrhunderten der Kirche*, 1908, gallice, *L'Eucharistie et la Pénitence dans les six premiers siècles*, trad. *M. Decker* et *E. Ricard*, 1910; **A. d'Alès**, *op. cit.*, p. 52-455; **J. Tixeront**, *Le sacr. de Pénitence dans l'Antiquité chrétienne* (Sc. et Rel.), 1914.

eo quod *uniri Ecclesiæ idem est ac ipsi Deo uniri.* (a) Id jam constat ex dictis in *Tr. de Ecclesiâ*, ubi probavimus Ecclesiam a Christo institutam esse ad sanctificandos homines (n. 607 sq.), et extra Ecclesiam non dari salutem (n. 824 sq.) : ex hoc enim logice sequitur Ecclesiæ vere et proprie uniri idem esse ac Deo ipsi conjungi, qui solus est sanctificationis auctor. (b) Quod quidem ex eo firmatur quod Ecclesia, juxta doctrinam S. Pauli, est *corpus Christi*, ita ut esse membrum Ecclesiæ idem sit ac esse membrum Christi. (c) Idem docent Patres antiquissimi, qui, cum S. Ignatio, asserunt eos qui Deo et Christo intime uniuntur esse cum episcopo, et eos qui pænitentiâ ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, eo ipso Dei esse et secundum Christum vivere [1]. Lucidius rem declarant Patres tertii et quarti sæculi, ut infra dicemus.

(B) Ex comparatione institutâ ab antiquis Patribus, Herma aliisque, inter baptismum et pænitentiam quoad *effectus* quos producunt : sicut enim baptismus *interne* et *coram Deo* abluit peccata, ita pariter et pænitentia, etsi diverso modo.

Quibus prænotatis, thesim probabimus triplici testimoniorum genere : 1° testimoniis *implicitis* secundi sæculi; 2° testimoniis *explicitis* in controversiâ cum *Montanistis;* et 3° in controversiâ cum *Novatianis.* Per modum *appendicis*, dicemus 4° de *disciplinâ pænitentiali* per quatuor priora sæcula.

Animadvertimus tamen quædam documenta priorum sæculorum, et quidem maximi momenti, periisse, ut inferri potest ex eo quod *Callisti* decretum, de quo infra, nonnisi imperfecte novimus, nempe ex scriptis Tertulliani qui illud impugnat. Unde si argumentum historicum pro prioribus sæculis mancum apparet, id tribuendum est, ex parte, paucitati documentorum; ideoque ea quæ obscura sunt elucidari debent tum ex praxi Ecclesiæ tum e documentis subsequioris ævi.

I. Secundi sæculi testimonia expenduntur.

674. Primævâ Ecclesiæ ætate, toti erant Doctores in propugnandis fundamentalibus fidei dogmatibus, nempe unitate

[1] *Philad.*, III.

Dei, divinitate Christianæ religionis, divinitate Christi, obedientiâ episcopis præstandâ, etc. — Insuper, sub influxu enthusiasmi et fervoris in primis christianis communitatibus vigentis, non pauci fideles putabant peccata gravia vix a fidelibus committi posse, ideoque parum de pænitentiâ cogitabant. — Experientiâ tamen compertum est ipsos baptizatos non esse impeccabiles, immo et quosdam in gravissima peccata aliquando labi. Exinde quæstio orta est num et quomodo hæc peccata deleri possint. Quidam *rigoristæ* putabant peccata post baptismum commissa esse irremissibilia. Contra quos, Patres secundi sæculi docuerunt peccata post baptismum commissa per pænitentiam deleri posse : non diserte tamen, sed obiter et obscure, si res judicatur tantum ex documentis quæ supersunt.

675. 1° Id innuit *S. Ignatius* martyr, dum scribit an. circiter 107 : " Quotquot enim Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo; et quotquot *pænitentiâ* ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, et hi Dei erunt, ut secundum Jesum Christum vivant "[1]. Pariter in *Doctrinâ duodecim Apostolorum* (*Didache*) legitur[2] : " Die autem dominicâ convenientes frangite panem et gratias agite, postquam *delicta vestra confessi estis*, ut sit *mundum* sacrificium vestrum "; ibi enim confessio peccatorum, seu exomologesis, exhibetur ut medium quo peccata tolluntur : " ut sit *mundum* sacrificium ". Quod confirmatur ex testimonio *S. Irenæi*[3] : hic enim narrat mulieres quasdam, a Marco mago et hæretico fuisse seductas et corruptas. Jamvero quædam inter eas, conversæ ad Ecclesiam Dei, peccata sua confessæ sunt, et publicam pænitentiam seu exomologesim fecerunt; aliæ autem publicâ exomologesi perterritæ, desperantes a vitâ Dei abcesserunt. Ex quo merito infertur pænitentiam tunc habitam fuisse ut medium ad vitam divinam recuperandam[4].

676. 2° Sed opus præcipuum, in quo doctrina pænitentialis hujus ætatis exponitur, est *Hermæ Pastor*, opus scriptum, mediante sæc. II°, a fratre Pii, Romani Pontificis[5].

(a) Imprimis auctor inquirit *num*, post baptismum, *pænitentiæ locus detur*. Audivit enim *Hermas* a quibusdam doctoribus aliam pænitentiam non esse nisi eam quæ fit in

[1] *Ad Philadelph.*, n. 3; p. 267 ed. *Funk* (Patres Apostolici), 1901.
[2] *Didache* (an. 98-120?), n. 14, p. 33 ed. *Funk*.
[3] *Contra hæreses*, lib. I, cap. 13, n. 5-7, *P. G.*, t. VII, 587-591.
[4] Alia testimonia vide apud A. d'Alès, *op. cit.*, p. 114-133.
[5] A. d'Alès, *op. cit.*, p. 52-113.

baptismo. "Recte audisti, inquit Pastor[1]; sic enim res se habet. Debuit enim qui accepit remissionem peccatorum non amplius peccare, sed in castitate permanere "[2]. Attamen Deus, cùm sit valde misericors, pergit Pastor, pænitentiam concedit pro omnibus peccatis hucusque commissis, et quidem ad modum privilegii *extraordinarii*. *Semel* tantum datur pænitentia : non enim licet pænitere et iterum peccare, ne ita fideles in peccatum inducantur[3]. Remissio autem ad *omnia* delicta se extendit, etiam *apostasiam* et *adulterium*[4].

677. (**b**) Hanc autem pænitentiam fieri *duce et auspice Ecclesiâ*, constat præsertim ex analogiâ *turris*, quæ, ut ait Hermas, est *Ecclesia*. Nam per baptismum ingredimur *turrim*, per peccatum ab eâ expellimur, sed per *pænitentiam* iterum in structuram *turris* intramus : " Propterea enim intermissio ædificationis facta est, ut hi (peccatores), si pænitentiam egerint, intrent in structuram turris. Si autem non egerint pænitentiam, tunc alii intrabunt et illi in perpetuum abjicientur"[5]. Non agitur pro inde de pænitentiâ mere privatâ, sed de eâ quæ fit sub pastoribus ecclesiasticis, et concluditur per reconciliationem cum Ecclesiâ, ideoque cum ipso Deo.

(**c**) *Necessitatem* et *efficaciam* pænitentiæ in *foro interno* ad vitam spiritualem recuperandam, ita declarat[6] : "Quotquot autem non agent pænitentiam, vitam suam amiserunt; quotquot ex iis pænitentiam egerunt, boni evaserunt et habitationem acceperunt in primis muris; quidam etiam in turrim ascenderunt. Vides igitur,

[1] Hic pastor probabilius unus est ex angelis Dei.

[2] *Pastor*, Mand. IV, 3, 2, p. 479 ed. *Funk*.

[3] Mandat. IV, 3, 4-7, p. 479-481 ed. *Funk*. Aditum occludendo renovationi pænitentiæ, post nova peccata, spiritui evangelico contradicit, vi cujus *septuagies septies* offensa dimitti debet (*Matth.*, XVIII, 22).

[4] Simil. VI, 2, 3-4, et VIII, 2, 8-9; et VIII 6, 6; pp. 547, 561, 569. — *Modus pænitendi* postea describitur : " Oportet pænitentem cruciare animam suam et humiliare fortiter in omni actu suo et affligi in omnibus tribulationibus variis; cumque sustinuerit tribulationes sibi supervenientes, omnino miserebitur qui creavit omnia confirmavitque, et remedium aliquod ei dabit; et hoc certe, si viderit cor pænitentis mundum ab omni negotio ". Itaque requiritur imprimis cor *contritum* et humiliatum, deinde patiens *acceptatio tribulationum*, tandem *mutatio vitæ*. (Simil. VII, 4, p. 555 ed. *Funk*.)

[5] Simil. IX, 14, 2, p. 605 ed. *Funk*.

[6] Simil. VII, 6, 6, p. 569.

inquit, pænitentiam peccatorum vitam habere, impænitentiam vero mortem ".

678. *Hermas* igitur supponit Ecclesiæ inesse potestatem pænitentiam imponendi et peccatores coram Deo reconciliandi ; *modum* vero *hujus reconciliationis non describit*, quia ejus scopus erat mores christianos instaurare, non autem omnia describere quæ ad disciplinam pænitentialem spectant. Quod hic autem prætermisit, scriptores tertii sæculi tam expresse affirmant, ut exinde merito inferatur potestatem clavium non fuisse ignotam sæculo secundo.

II. Testimonia Patrum tertii sæculi contra Montanistas.

Pænitentia, quam Hermas tanquam remedium *extraordinarium* tradiderat mediante sæculo secundo, exhibetur ut remedium *ordinarium, ineunte sæculo tertio.* — Insuper *Ecclesiæ potestas remittendi peccata* diserte affirmatur.

679. 1° Id constat ex *hæresi Montanistarum*, qui, circa exitum sæculi secundi, auctore Montano, rati finem mundi et extremum judicium instare, in Phrygiâ *rigorismum* prædicabant, præsertim vero contendebant apostasiam, homicidium et adulterium ab Ecclesiâ nunquam esse remittenda. Quibus auctoritatem sui ingenii dedit *Tertullianus.*

(A) In tractatu *de Pœnitentia* quem adhuc catholicus exaravit (an. 202-206), *Tertullianus* diserte commendat secundam pænitentiam, et eam expresse dicit constare tùm *confessione* quâ determinatur satisfactio, tùm *exomologesi* seu satisfactione quæ tunc valde rigorosa erat, ut ex ejus descriptione patet. Insuper, in eodem tractatu satis subaudit *sententiam absolutionis* quam sponte suâ exposcit judicium ibi fuse descriptum. Præterea, nullibi in hoc tractatu dicit aliquot peccatis fuisse absolute denegatam reconciliationem, sed potius longanimem indulgentiam erga quoslibet pænitentes ostendit [1].

680. (B) Sed, in *Tr. de Pudicitiâ*, quem jam Montanista scripsit (an. 217-222), Tertullianus contendit quædam peccata esse *irremissibilia.*

[1] A. d'Alès, *op. cit.*, p. 142-168.

(a) Occasio hujus tractatûs fuit *edictum Callisti*, in quo R. Pontifex declarabat se remittere peccata fornicationis et adulterii : " Audio, ait Tertullianus, edictum esse propositum, et quidem peremptorium. Pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit : *Ego et mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto* " [1]. Ibi tanquam auctoritatem habens loquitur; nam, teste Tertulliano, edictum est *peremptorium;* suam vero auctoritatem desumit ex verbis Christi : *Tu es Petrus*, etc.

681. (b) Tertullianus montanista eum acerbe reprehendit. Admittit quidem episcopis inesse potestatem quædam peccata dimittendi, ea nempe quæ non sunt ad mortem [2]; sed asserit peccata quædam esse ad mortem seu irremissibilia, inter quæ fornicationem et mœchiam seu adulterium recenset. Aliunde, inquit [3], Callistus non remittit idololatriam nec homicidium; cur ergo adulterium dimittit? Fatetur tamen Tertullianus hæc tria peccata posse a Deo ignosci. Immo agnoscit Ecclesiæ hanc potestatem competere, sed addit ejus exercitium non expedire : " Sed habet, inquis, *potestatem Ecclesia delicta donandi. Hoc ego magis et agnosco et dispono,* qui ipsum Paracletum in prophetis novis habeo dicentem : potest Ecclesia donare delictum; sed non faciam, ne et alia delinquant " [4]. Ergo hæc potestas absolvendi ab omnibus peccatis, post baptismum commissis, tam inconcussa existimabatur ut ab ipsis Montanistis agnosceretur. Neque negabant verba : " Tu es Petrus... quodcumque ligaveris, etc.", includere potestatem peccata remittendi, sed dicebant eamdem transmissam fuisse non episcopis, sed

[1] Hoc decretum novimus ex ipso **Tertulliano**, *De pudic.*, c. 1, p. 220 ed. *Vindobon.; P. L.*, II, p. 981. — Siquidem tunc vigebat praxis, in aliquibus ecclesiis, non absolvendi a tribus gravissimis peccatis, nempe idololatriâ aut apostasiâ, fornicatione aut adulterio, et homicidio; non quia Ecclesia carebat facultate ea remittendi, sed quo efficacius fideles ab istis removerentur. Horum criminum reis imponebatur quidem pænitentia publica, et spes eis relinquebatur quod veniam ab ipso Deo impetrarent; sed absolutio ab his peccatis dari non solebat : quæ proinde erant peccata veluti Deo *reservata*.

[2] Peccata hujusmodi quæ dicuntur *leviora* seu *minora* aut *media* relate ad tria crimina reservata, non sunt ea quæ hodie *venialia* vocamus, sed mortalia quæ publicâ pænitentiâ expiabantur.

[3] *De pudic.*, c. 5, p. 227 ed. *Vindobon.*; *P. L.*, t. II, p. 988.

[4] *De pudic.*, c. 21, p. 269 ed. *Vindobon.; P. L.*, II, 1024.

spiritualibus [1], seu discipulis Montani qui Spiritu ducebantur; ita errabant potius circa sacram hierarchiam et opportunitatem dimittendi peccata quam circa potestatem absolvendi in se spectatam.

Non obstante Tertulliani eloquentiâ, Callisti decretum in Ecclesiam universalem mox receptum fuit.

682. 2° Quod quidem aliis testimoniis confirmatur :

(A) *Origenes* distincte agnoscit episcopis et sacerdotibus inesse potestatem dimittendi peccata, et quidem coram Deo : " Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa, per pænitentiam remissio peccatorum, cùm lavat peccator in lacrymis stratum suum... et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quærere medicinam " [2]. Etiam *graviora* peccata *semel* pænitentibus remitti possunt, *leviora* autem semper : " In gravioribus criminibus semel tantum pænitentiæ conceditur locus; ista vero communia, quæ frequenter incurrimus, semper pænitentiam accipiunt et sine intermissione redimuntur" [3].

683. (B) Aliunde ex *libris liturgicis* et *canonicis* hujus temporis patet potestatem dimittendi peccata episcopis in ipsâ ordinatione fuisse concessam.

(a) In *Constitutionibus ecclesiæ Ægyptiacæ*, tertio exeunte sæculo, legitur : " Offerat sacrificium sanctæ Ecclesiæ tuæ, et in sancto animo... peccata dimittat juxta præceptum tuum, ordinationes faciat juxta dispositiones tuas, et in virtute potestatis Apostolis tuis conlatæ, omnia pœnarum vincula solvat ". Similia invenire est in *Canonibus Hippolyti* [4].

(b) Quod etiam infertur ex opere *Didascalia Apostolorum*, quod ante finem tertii sæculi in ecclesiâ syriacâ recipiebatur. Ibi enim

---

[1] *De pudic.*, c. 21, p. 270-271; *P. L.*, II, 1026.

[2] *In Levitic.*, homil. II, 4, *P. G.*, XII, 417.

[3] *In Levitic.*, XV, 2, *P. G.*, XII, 561. — Quidam putant *Origenem* primum docuisse tria peccata esse irremissibilia (*De Oratione*, 28, *P. G.*, XI, 527-530) : ibi enim eos irridet " qui nescio quomodo sibi arrogant ea quæ sacerdotalem superant dignitatem... glorianturque quasi possint etiam idololatriam condonare, adulteriaque et fornicationes remittere "; et nonnisi postea, ab anno 244, docuisse hæc etiam posse remitti. Sed **A. d'Alès** ostendit, *op. cit.*, p. 283-295, præfata verba intelligi posse eo sensu quod Origenes reprehendit sacerdotes qui ista peccata facilius condonabant absque debitâ pænitentiâ.

[4] Ambo hæc documenta invenies inter *Monumenta Ecclesiæ liturgica* (quæ ediderunt **F. Cabrol** et **H. Leclercq**), Parisiis, t. I, p. XXXI.

(cap. 5-10) traditur episcopo officium incumbere graviter quidem increpandi peccatores, eisque pænitentiam imponendi, sed postea eos reconciliandi per manûs impositionem, quia potestatem habet ligandi atque solvendi. Neque ullum excipitur peccatum; sed e contra afferuntur Scripturæ textus, ex quibus constat Deum condonasse peccata Manasse, qui idololatriam et homicidium commiserat, necnon mulieris adulteræ [1].

684. **Conclusio.** Tertio sæculo quamdam potestatem remittendi peccata Ecclesiæ inesse agnoscunt ipsi Montanistæ, atque aperte docent libri liturgici et canonici: et exinde merito infertur eamdem doctrinam *sæculo secundo fuisse receptam* : si enim Tertullianus novisset hanc doctrinam fuisse recenter in Ecclesiam invectam, id sane dixisset dum tam acerbe impugnabat Callistum; aliunde preces ordinationis et canones superius allati de potestate clavium non fuissent universim recepti, nisi fidei Ecclesiæ consentanei fuissent.

Et ita confirmatur interpretatio quam dedimus testimoniorum secundi sæculi.

III. Patrum doctrina contra Novatianos.

685. **Status quæstionis.** Mediante sæc. III°, nova quæstio orta est de absolutione *lapsorum*, seu eorum qui in apostasiam lapsi erant tempore Decianæ persecutionis (an. 250).

Christiani multi idolis sacrificaverant, et *sacrificati* vocabantur; alii ab officialibus libellum acceperant in quo declarabatur ipsos sacrificasse, etsi revera ab idolorum cultu abstinuissent; quare *libellatici* dicebantur. Sedatâ tempestate, multi ex lapsis reconciliationem et absolutionem quærebant, a confessoribus et martyribus petentes *libellos pacis* quos sacerdotibus exhibebant ut statim in pacem Ecclesiæ reciperentur. Exinde orta est quæstio num *lapsis* absolutio concedenda esset.

686. 1° **Ecclesiæ doctrina.** (A) *S. Cyprianus*, tum in epistolis tum in libro de Lapsis, ita respondet. (a) Iis lapsis

[1] Textum syriacum hujus operis edidit **Lagarde**, Lipsiæ, 1854; gallicam versionem publici juris fecit **Nau**, *La Didascalie*, Paris, 1902. — Eamdem doctrinam invenies in *Constitutionibus apostolicis;* cfr. **Funk**, *Die Apostolischen Konstitutionem*, eine litterar historische Untersuchung, Rottenburg, 1891.

qui *verâ pœnitentiâ* et *Christi confessione* suum peccatum expiaverunt, pax neganda non est : "Cum ergo abluerint omne delictum, et maculam pristinam assistente sibi Domino potiore virtute deleverint, jacere ultra sub diabolo non debent qui extorres facti et bonis suis omnibus spoliati, erexerunt se et cum Christo stare cœperunt" [1]. Pariter si *periculosâ infirmitate* laborant, statim reconciliari possunt, "ut exomologesi factâ et manu eis a vobis in pænitentiam impositâ, cum pace a martyribus sibi promissâ ad Dominum remittantur" [2].

(b) Sed, extra hos casus, lapsi longam agere debent pænitentiam antequam absolvantur, nec approbandi sunt sacerdotes qui, exhibitis litteris pacis a martyribus datis, *statim* lapsos ad communionem acceperunt : "Nam, cùm in minoribus peccatis agant peccatores pænitentiam justo tempore, et secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri jus communicationis accipiant, nunc, crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restitutâ Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, et offertur nomine eorum, et nondum pænitentiâ actâ, nondum exomologesi factâ, nondum manu eis ab episcopo et clero impositâ, eucharistia illis datur" [3].

687. (B) *Romanæ Ecclesiæ responsum.* Cùm autem nonnulli de hoc conquererentur, S. Cyprianus ad presbyteros et diaconos Romæ, sede pontificiâ vacante, scripsit, totam rem exponens; hi autem ejus agendi rationem approbârunt atque *antiquâ praxi Romanæ Ecclesiæ* confirmârunt; prudenter erga lapsos agebant, "ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pænitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem" [4].

(C) *Decretum Carthaginense.* Postea hæc agendi ratio approbata fuit a Concilio *Carthaginensi* (an. 251), cui multi episcopi interfuerunt. 1) Discrimen institutum est inter *libellaticos* et *sacrificatos :* priores post aliquam pænitentiam reconciliabantur, posteriores tantum in exitu vitæ : "Et ideo placuit..., examinatis

[1] *Ep.* XXV, p. 538 ed. *Vind.; P. L.*, t. IV, p. 274.

[2] *Ep.* XIX, 2, p. 525 ed. *Vind.: P. L.*, t. IV, p. 260; cfr. *ep.* XVIII, p. 523 ed. *Vind.*, et *P. L.*, IV, 259.

[3] *Ep.* XVI, 2, p. 518 ed. *Vind.; P. L.*, t. IV, p. 251-252.

[4] *Ep.* XXX (alias XXXI), p. 556 ed. *Vind.; P. L.*, t. IV, p. 315. — Hanc epistolam scripsit *Novatianus*, postea rigorismi et schismatis fautor; et jam aliqua severitatis nota in ejus epistolâ apparet.

causis singulorum, *libellaticos* interim admitti, *sacrificatis* in exitu subveniri, quia exomologesis apud inferos non est "[1]. Apostasia igitur hoc tempore non erat peccatum reservatum. 2) Ii vero qui per vitam pænitentiam agere noluerunt, et solum tempore periculosæ infirmitatis exomologesim deprecantur, non recipient communionem et pacem, quia " nec dignus est in morte accipere solatium qui se non cogitavit esse moriturum "[2].

688. 2° **Novatianorum error.** (A) *Exponitur.* Quæ tamen decreta non placuerunt Novato et Felicissimo, qui Romam profugerunt et Novatiano adhæserunt : hic presbyter, dolens quod non fuerat electus S. Pontifex, ab Ecclesiâ secessit. (a) *Novatianus ipse* docuit Ecclesiam non posse remittere *peccatum apostasiæ :* qui error damnatus fuit in Concilio Romæ habito, an. 251, sed per multos annos supervixit. (b) Ejus discipuli, *Novatiani*, postea docuerunt *omnia peccata ad mortem* non posse ab Ecclesiâ dimitti.

689. (B) *Novatianismus a Patribus impugnatur.* Contra quos scripserunt, inter alios, *S. Ambrosius* et *S. Pacianus.*

(a) *S. Ambrosius,* in lib. de Pænitentiâ[3] (an. circiter 384), probat Christum Ecclesiæ contulisse potestatem omnia peccata dimittendi, et quidem coram Deo : ex verbis S. Joannis[4] : " Quorum remiseritis peccata...", et ex verbis S. Matthæi[5] : " Tibi dabo claves regni cælorum... ". Peccata autem remitti *coram Deo* demonstrat ex analogiâ cum baptismo : " In baptismo utique remissio peccatorum omnium est : quid interest utrum per pænitentiam an per lavacrum hoc jus sibi datum[6] sacerdotes vindicent. Unum in utroque mysterium est ". Posteaque addit in pænitentiâ sicut in baptismo conferri gratiam. — Tandem ostendit nulla peccata esse irremissibilia, explicando textus Scripturæ ab adversariis allatos[7], de quibus jam supra egimus, nn. 670-671.

690. (b) *S. Pacianus,* Barcinonensis episcopus, in epistolis tribus ad Sempronianum novatianum scriptis (an. circiter 380), doctrinam catholicam diserte propugnat.

[1] *Ep.* LV, 17, p. 636 ed. *Vind.* — [2] *Ibid.*, 23, p. 641-642 ed. *Vind.*
[3] *P. L.*, t. XVI, p. 465-524. — [4] *P. L.*, XVI, 467. — [5] *P. L.*, XVI, 476.
[6] *De pænit.*, l. I, c. 8, *P. L.*, XVI, 477.
[7] *P. L.*, XVI, 480-482, 496, 499.

1) Probat non solum *apostolis*, sed eorum *successoribus* concessam fuisse a Deo *potestatem peccata dimittendi* : "Nunquam Deus non pænitenti comminaretur, nisi ignosceret pænitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est : sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit : *Quæ ligaveritis in terris*, etc...? Cur hoc, si ligare hominibus ac solvere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet"[1].

2) Quia vero Novatiani dicebant inutilem fore baptismum, si pænitentibus remissio peccatorum datur, S. Pacianus ostendit *discrimen esse inter utrumque sacramentum* : "Baptismus enim sacramentum est dominicæ passionis, pænitentium venia, meritum confitentis. Illud omnes adipisci possunt, quia gratiæ Dei donum est, id est gratuita donatio; labor vero iste paucorum est qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lacrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviscunt"[2].

3) Cùm hæretici contenderent remissionem peccati esse incitamentum ad peccandum, respondet Pacianus : "Quid ais? Ergo qui sæpius remedium criminis monstrat, crimen ostendit? Et medicus ille cùm curat assidue vulnerari docet? Deus nec peccare vult hominem semel, et tamen liberat a peccato. Nec utique cùm liberat, peccatum docet; sicut nec qui ab incendio liberat, incendium monstrat"[3].

4) Tandem ostendit *omnia* peccata posse remitti : "*Quæcumque solveritis*, inquit; omnino nihil excipit. *Quæcumque*, inquit : vel magna, vel modica"[4]. — Quia vero opponebatur condemnatio incestuosi, respondet hunc non fuisse Satanæ traditum ad mortem æternam, sed ad pænitendum : "Deinde vides quod hic ipse peccator incestûs non morti traditur, sed Satanæ, ad emendandum, ad colaphizandum, ad pænitendum. Denique ait, *ad interitum carnis*, non tamen animæ, non etiam spiritûs; sed ad solius carnis interitum, tentationes scilicet, carnis angustias, detrimenta membrorum"[5].

691. Multi alii Patres quarti sæculi hanc absolvendi potestatem tanquam veritatem inconcussam tradunt[6]. —

[1] *Ep.* I ad Sempron., n. 6, *P. L.*, t. XIII, 1057.
[2] *Ep.* III ad Sempron., n. 8, *P. L.*, XII, 1068. — [3] *Op. cit.*, n. 9, p. 1069.
[4] *Op. cit.*, n. 12, p. 1071. — [5] *Op. cit.*, n. 18, p. 1075.
[6] Ita inter alios, **S. Joannes Chrysostomus**, *De Sacerdotio*, l. III, c. 5, *P. G.*, t. LXVII, 643; **S. Gregor. Naz.**, *Orat.* 39 in SS. Lumina, n. 18-19, *P. G.*, t. XXXVI, 356-357; **S. Aphraates**, *Patrol. syriaca*, ed. *Graffin*, 1894, t. I, pp. 313-360; **S. Ephrem.**, *Opera*, Romæ, 1740, t. II, p. 440; **S. Hilarius**, *Comment. in Matt.*, *P. L.*, t. IX, 1921, etc.

Nec ulterius progredi necesse est, cùm, fatentibus adversariis, potestas clavium jam a sæculo quinto ab Ecclesiâ exercita fuerit.

692. **Conclusio generalis.** Ex factis et testimoniis supra allegatis historice constat Protestantes omnino errare dum affirmant Ecclesiam per priora sæcula peccatores non reconciliâsse nisi *in foro ecclesiastico.* (a) *Explicite* enim Patres quarti, immo et tertii sæculi, affirmant Ecclesiæ potestatem inesse vere dimittendi quædam saltem peccata, etiam gravia, *coram Deo* seu *cum infusione gratiæ.*

(b) *Implicite* idem constat e modo quo *progressive nata est hæresis contraria :* primum Tertullianus, cum Montanistis, non negat ipsam potestatem sed solum opportunitatem eam exercendi; postea Novatiani, etiam quarto sæculo, hanc potestatem non omnino negant, sed coarctant ad peccata quæ non sunt ad mortem; Protestantes sæc. XVI primi sunt qui clavium potestatem penitus rejecerint.

Nova igitur non est doctrina catholica, sed Protestantium affirmatio quæ antiquis Patribus erat penitus ignota.

693. *Solvitur difficultas.* Objiciunt tamen *Liberales* quarto sæculo vestigia inveniri sententiæ vi cujus peccata non vere remittuntur, sed solum remissa *declarantur. S. Hieronymus* enim, verba *Tu es Petrus...* exponens, comparationem instituit inter sacerdotes Veteris et Novæ Legis, et asserit similem esse priorum ac posteriorum missionem; sicut sacerdos antiquus lepram non curabat, sed solum authentice de morbo et ejus sanatione judicabat, ita " alligat vel solvit episcopus et presbyter non eos qui insontes sunt vel noxii, sed, pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, qui solvendus " [1].

Resp. (a) Etiamsi S. Hieronymus docuisset potestatem sacerdotum esse mere declarativam, hujus testimonium, utpote *unicum*, innumera Patrum anterioris aut sequioris ævi infringere non posset. (b) Valde probabiliter autem ejus verba sensu catholico intelligi possunt, eo sensu nempe quod sacerdotes non possunt modo *arbitrario* peccata dimittere, sed post accuratam investigationem, ut sciant qui legitime ligandus sit aut solvendus, ut supra dictum est de naturâ hujus potestatis (n. 661); nam postea fatetur quodcumque ligant super terram esse ligatum in cælis [2].

---

[1] *In Matth.*, XVI, 19, *P. L.*, XXVI, 118.
[2] *In Matth.*, XIX, 18.

IV. Appendix de antiquâ pænitentiali disciplinâ [1].

Potestas clavium, ex dictis, eadem semper fuit in Ecclesiâ, sed modus eam exercendi diversus fuit secundum diversa tempora, prout postulabat fidelium vel Ecclesiæ utilitas : quod breviter exponere opportunum erit.

694. 1° **Generalis indoles antiquæ pænitentialis disciplinæ describitur.** Ecclesia fidelibus peccatoribus novum genus vitæ imponebat, vitæ *religiosæ* postea institutæ valde similem. (A) Primum pænitentia ab Episcopo injungebatur [2] : (a) peccatores specialem induebant habitum, ut in sacco et cinere austeram et laboriosam vitam ducerent : ita veluti authentice inter pænitentes recipiebantur; (b) multis privabantur privilegiis in ordine religioso et civili : stantes ad portas ecclesiæ, vel intra ecclesiam speciali loco admissi, eucharistico sacrificio assistere non poterant; neque nuptias inire aut matrimonio jam inito uti; nec etiam honores ambire, militiam aut negotium exercere [3]; (c) variis autem mortificationibus corpus suum afficiebant, balneis et lautis epulis renuntiabant ; brevi somno contenti, diuturnæ orationi vacabant, eleemosynis suæ conditioni proportionatis peccata redimentes.

(B) Huic publicæ pænitentiæ *tota Ecclesia cooperabatur* non solum piis exhortationibus, sed etiam veniam a Deo petendo pro pænitentibus : hæc fuit veluti prima origo indulgentiarum.

695. (C) Quando pænitentia sufficiens judicabatur, *absolutio* ab Episcopo concedebatur, quæ consistebat in *impositione manuum* cum *oratione* quæ veniam peccatorum significabat. Hæc autem cuique pænitenti *semel* tantum dabatur, ne frequentiori concessione fideles ad multiplicanda peccata induci viderentur. Generatim semel in anno sollemniter coram fidelibus coadunatis absolutio concedebatur, et quidem in Cœnâ Domini, juxta usum romanum.

---

[1] Hæc disquisitio, quæ ad demonstrationem thesis minime necessaria est, ad eam confirmandam haud parum inservit. — Cfr. **Tertul.**, *De pænitentiâ*, *De pudicitiâ; Philosophoumena*, IX, 12; **E. Preuschen***, *Tertullians Schriften De pænitentia und de pudicitia, mit Rücksicht auf Bussdisziplin untersucht*, Giessen, 1890; **E. Rolffs***, *Das Indulgenz-Edict des römischen Bischofs Kallist kritisch untersucht und reconstruiert*, Leipzig, 1893; **A. d'Alès**, *op. cit.*, p. 422-455; **G. Rauschen**, *op. cit.*, l. II, § II.

[2] Quam laboriosa fuerit hujusmodi pænitentia, describit **Tertullianus**, *De pænit.*, c. IX, *P. L.*, I, 1243-1244.

[3] Ita Papa **Siricius**, ad Himerium scribens, *ep.* I, 5, *P. L.*, XIII, 1137, eos carpit "qui actâ pænitentiâ tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeuntes et militiæ cingulum et ludicras voluptates et nova conjugia et inhibitos denuo appetivere concubitus".

Si vero urgebat *periculum mortis*, *statim* absolvebantur ægroti, ne absque communione e sæculo exirent [1].

Conclusio. Antiquitus sicut nunc tres actus pænitentis requirebantur, sed primæva Ecclesia magis satisfactioni insistebat.

696. **2° Quæstiones disputatæ.** Hodie tamen, inter catholicos auctores, duæ præcipuæ quæstiones agitantur : (a) num, per aliquod tempus, in universâ Ecclesiâ, absolutio tribus maximis peccatis denegata fuerit; (b) num, quinque prioribus sæculis, præter pænitentiam publicam, viguerit etiam pænitentia privata.

697. (A) Ad primum quod spectat: (a) auctores maximi ponderis, ut *Morinus*, *d Aubespine*, *Juenin*, *Petavius*, *Sirmond*, *Funk*, *Vacandard*, *Batiffol*, putant Ecclesiam, per tria priora sæcula absolutionem denegasse reis apostasiæ, fornicationis et homicidii [2], etiam in articulo mortis, eos remittens judicio Dei simulque preces fundens ut Deus eis ignosceret. — Quod probant : ex *Tertulliano;* hic enim asserit Callistum primum fuisse qui mœchis veniam daret, et ita non sibi consistere, quia idololatris et homicidis absolutionem denegare pergit [3]; ex *S. Cypriano*, qui testatur quosdam ex episcopis africanis adulteros absolvere noluisse [4]; ex concilio *Illiberitano* (an. 306), can. 1, ubi dicitur : " Placuit inter eos qui post fidem baptismi salutaris adultâ ætate ad templum idoli idolaturus accesserit, et fecerit, quod est crimen capitale, quia est summi sceleris, placuit nec in finem eum communionem accipere " [5]; ex concilio *Arelatensi* (an. 314), can. 22, ubi similia habentur; ex *Origene*, qui reprehendit sacerdotes absolventes, ex ignorantiâ canonicæ disciplinæ, tria præfata delicta [6]. Ergo, inquiunt, in Ecclesiâ tum

---

[1] Quod constat ex ep. **S. Innocentii I** ad Decentium, episcopum Eugubinum (*P. L.*, XX, 559) : " De pœnitentibus autem, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pænitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quintâ feriâ ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pænitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem suam. Vel si quis ægritudinem incurrerit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat ".

[2] **Morinus**, *op. cit.*, lib. X, c. 1-3; d'**Aubespine**, *De vet. Ecclesiæ ritibus*, c. 2; **Juenin**, *De pœnit.*, q. VII, c. 1, a. 2, § 1; **Petavius**, in notis ad Epiphanii hæres. 59, ad calcem ejus operum; **Sirmond**, *Hist. pænit. publicæ*, c. 1; **Funk**, *Theol. Quartalschrift*, 1906, p. 432 sq.; **Vacandard**, in *Rev. du clergé franç.*, t. XX, 1899, p. 575 sq.; **Batiffol**, *op. cit.*, p. 215.

[3] **Tertul.**, *De pudicitiâ*, c. 5-6; *P. L.*, t. II, p. 987-991.

[4] **S. Cyprian.**, *ep.* 52 ad Antonianum, n. 21.

[5] Ap. **Bruns**, *op. cit.*, t. II, p. 2.

[6] **Orig.**, *De oratione*, c. 28, *P. G.*, t. XI, p. 528-529.

Latinâ tum Græcâ, praxis viguit, usque ad quartum sæculum, veniam denegandi horum criminum reis.

698. (b) Aliunde multi theologi, inter quos *Esser*, *Stufler*, *A. d'Alès*, docent *nunquam* in Ecclesiâ prævaluisse praxim *universalem* graviorum criminum, in fine vitæ, absolutionem denegandi [1]. Quod probant duplici argumento : *indirecte*, auctoritate *C. Tridentini* definientis confessionem sacramentalem necessariam esse jure divino; ex quo infertur Ecclesiam non potuisse pænitentibus denegare, præsertim in articulo mortis, tam necessarium sacramentum; *directe*, exhibendo testimonia Patrum, præsertim Hermæ, S. Cypriani, S. Paciani, S. Cælestini, S. Leonis, etc., quæ supra retulimus.

Ad auctoritates allegatas respondent : *Tertullianus* calumniatur Callisti doctrinam, forte ad imminuendam ejus auctoritatem apud Afros; *S. Cyprianus* affirmat *quosdam* episcopos, non autem omnes, absolutionem mœchis denegâsse; concilia superius allegata loquuntur de *communione*, non autem de absolutione denegandâ.

699. (c) *Judicium de hâc controversiâ.* Hic non agitur de re dogmaticâ, sed *historicâ* et *disciplinari*, quæ ex *factis* dirimenda est. Hæc autem sunt satis obscura. Certum videtur, mediante sæculo secundo, absolutionem denegatam non fuisse ob præfata peccata, ut constat ex auctoritate Hermæ. Pariter omnes concedunt jam a sæculo quarto horum peccatorum reservationem aboletam fuisse, in plerisque saltem ecclesiis. Sed res dubia manet quoad finem sæculi secundi et initium tertii. *S. Irenæus* et *Clemens Alexandrinus* supponunt suo tempore adulterium et homicidium condonari posse [2]. Attamen, attentis testimoniis supra allatis, n. 679, valde probabile est, per aliquod breve tempus, horum peccatorum condonationem judicio et misericordiæ Dei fuisse relictam in *quibusdam ecclesiis*, ut fideles ab istis delictis deterrerentur; Callistum vero hanc praxim reprobâsse præcipue quoad adulteros, ne forte in desperationem venirent, et mox reservationem sublatam fuisse quoad duo alia peccata. Ceteroquin pænitentia pro istis delictis imponebatur, et delinquentes veniam consequebantur per contritionem perfectam.

---

[1] **Palmieri**, th. 9, p. 92; **De San**, n. 211 sq.; **Pignataro**, *op. cit.*, p. 106 sq. ; **Pellé**, *Le Tribunal de la Pénitence*, thèse, Paris, Oudin, 1903, p. 86-136; **G. Esser**, *Die Bussschriften Tertullians*, 1905; **Stufler**, in *Zeitschrift f. Kath. Theol.*, 1908, p. 1-48; **A. d'Alès**, *op. cit.*, p. 228 sq.

[2] **S. Iren**, l. cit.; **Clemens Alex.**, *Quis dives salvetur*, c. 47, *P. G.*, t. IX, p. 647-651, ubi narrat S. Joannem in Ecclesiam recepisse quemdam latronum ducem, antea a se baptizatum, ideoque supponit homicidium non esse irremissibile.

700. (B) Quoad pænitentiam *privatam*, duplex pariter viget opinio.

(a) Theologi, de quibus supra [1], tenent prioribus sæculis duplex fuisse pænitentiæ genus : pænitentiam *publicam* pro publicis gravioribus delictis, *privatam* vero pro occultis. Quod probant : 1) *a priori*: nam, si obligatio viguisset publice confitendi peccata *occulta*, aut publice pro eis pænitendi, sigillum sacramentale fuisset violatum; insuper pænitentia publica *semel* tantum concedebatur, ideoque, sublatâ pænitentiâ privatâ, nulla esset spes veniæ pro recidivis. 2) Ex quibusdam *factis* : Cerdon, hæreticus, a *S. Irenæo* [2] describitur tanquam " in Ecclesiam veniens et exomologesim faciens... modo quidem latenter docens (hæresim), modo vero exomologesim faciens "; atqui pænitentia publica *semel* dabatur; ergo hic agitur de privatâ exomologesi. Idem fere narratur de Marcione, qui, semel et iterum ex Ecclesiâ ejectus, tandem pænitentiam subiit, pacem postea recepturus [3]. — Præterea *C. Nicænum*, can. 13, statuit ut omnibus moribundis (ideoque relapsis) non denegetur sacra communio; ergo eis prius ministrabatur pænitentia, eaque privata.

701. (b) Ex adverso autem critici, de quibus supra, negant per quatuor sæcula fuisse pænitentiam *privatam* a publicâ distinctam [4]. Agnoscunt quidem *confessionem* peccatorum generatim fuisse occultam et auricularem; sed *satisfactio* seu pænitentia semper publica erat; idem dicendum de *absolutione*, si excipias casum morientium : tunc enim peccatorum condonatio privatim fiebat. Etenim : 1) quoties Patres quatuor priorum sæculorum de pænitentiâ agunt, semper eam describunt ut *publicam*. 2) Pænitentia *privata* non exhibetur nisi quarto exeunte sæculo in *Oriente*, quando *Nectarius* (381-398) pænitentiarios abolevit, occasione cujusdam scandali [5]; in *Occidente* autem, sæculo sequenti. 3) Paucissima facta in contrarium allegata nil probant : Cerdon et Marcio, hæretici, non aliam exomologesim susceperunt nisi *publicam*, quæ sola tanto crimini competebat, sed, propter inconstantiam suam, pluries eam abruperunt; ex canone *Nicæno* nihil aliud infertur nisi condonationem peccatorum *moribundis* concedi privatim,

[1] Cfr. S. Harent, in *Etudes des PP. Jésuites*, t. LXXX, 1899, p. 577, et t. LXXXII, 1900, p. 577; A. d'Alès, *op. cit.*, p. 422-455.

[2] S. Iren., *C. Hæres.*, l. III, c. 4, *P. G.*, t. VII, p. 857.

[3] Tertullianus, *De præscript.*, c. 30, *P. L.*, t. II, p. 42.

[4] Quorum argumenta exponit Vacandard, in *Rev. du Cl. français*, t. XXIX, 1900, p. 258-264.

[5] Quod narrant Socrates, *H. E.*, l. V, c. 19, *P. G.*, t. LXVII, p. 613 sq., et Sozomenes, *H. E.*, l. VII, c. 16, *P. G.*, t. LXVII, 1457 sq.

per modum *privilegii*, sed exinde minime probatur modo generali pro aliis christianis viguisse pænitentiam privatam; immo, si moribundi supervixerint, juxta *Concil. Arausicanum I*, can. 3, in ordine pænitentium stare debebant, ideoque pænitentiam agere publicam.

702. (c) *Judicium de hâc controversiâ.* In re tam difficili et obscurâ, hæc animadverte liceat : — 1) Pænitentiæ publicæ subjiciebantur non solum tria maxima peccata, nempe apostasia, fornicatio et homicidium, sed etiam alia minora, quæ ut mortalia existimabantur; quod testatur *S. Cyprianus :* " Cum in minoribus peccatis agant peccatores pænitentiam, justo tempore et secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, et per manûs impositionem episcopi et cleri jus communionis accipiant "[1]. 2) Pænitentia publica vere erat *sacramentalis*, quippe quæ tota tenderet in remissionem peccatorum non solum quoad pœnam, sed etiam quoad culpam per ministerium et absolutionem sacerdotis, intercedentibus cum eo fidelibus, ut constat ex superius dictis de exomologesi, et ex dicendis de absolutione. 3) *Moribundis* concedebatur absolutio sacramentalis, etiam antequam canonicam pænitentiam absolverint, ut reconciliati cum Deo e vitâ excederent; insuper aliquando, ob confessorum et martyrum intercessionem, tempus pænitentiæ abbreviabatur. 4) Extra hos casus, valde probabile est *absolutionem* concessam esse pro minoribus delictis quæ publicæ pænitentiæ non subdebantur [2].

Art. II. De ministro potestatis clavium.

Ex dictis jam inferri potest non omnibus christianis competere potestatem clavium : cùm enim hæc ipsam conscientiam fidelium attingat, peccataque remittat etiam coram Deo, evidens est eam exerceri non posse nisi ab iis qui divinitus deputati sunt ad fideles sanctificandos. Ad eam exercendam duplex requiritur potestas, juxta *Tridentinum* [3], nempe potestas *ordinis* et *jurisdictionis*.

§ I. De potestate ordinis ad remittenda peccata.

703. 1° **Errores.** (a) *Montanistæ* potestatem clavium tribuebant solis pneumaticis seu spiritualibus, id est iis qui Spiritu Sancto

---

[1] **S. Cyprian.**, *ep.* 9, n. 2, *P. L.*, t. IV. p. 251.

[2] **Tertullianus** enim concedit (*De pudicitiâ*, XVIII, 18) fideles posse pro "levioribus delictis veniam ab episcopo consequi ".

[3] Sess. XIV, cap. 7, **Denz.-Bann.**, 903 (782).

inspirabantur; (b) *Waldenses* et *Wicleffitæ* bonis sive laicis sive sacerdotibus eamdem concedebant; (c) *Protestantes liberales* tenent primis Ecclesiæ sæculis potestatem clavium exercitam fuisse a *charismaticis*, id est, a fidelibus speciali dono seu charismate gaudentibus.

704. 2° *Thesis :* **Soli sacerdotes, id est episcopi et presbyteri, sunt ministri potestatis clavium, seu valide possunt a peccatis absolvere.**

De fide est ex *Tridentino* [1] : " Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : " Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo "; et : " Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt " : quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem; A. S. "

(A) *Scripturâ* probatur, nempe ex duobus textibus a *Tridentino* allegatis, quos supra (nn. 665-668) declaravimus. Ex his enim constat potestatem apostolis eorumque successoribus collatam, modo *judiciali* exercendam esse. Jamvero auctoritate judiciali non gaudent omnes fideles, sed solum ii qui Ecclesiæ præsunt. Et sane *Apostolis*, non vero indiscriminatim omnibus discipulis, Christus promisit et contulit clavium potestatem.

(B) *Traditione.* *S. Ignatius* non promittit peccatoribus remissionem peccatorum nisi *redeant ad episcopum* [2]; *Tertullianus*, adhuc catholicus, exomologesim describens, dicit peccatores "*presbyteris advolvi*" [3]; *S. Cyprianus*, Tertulliani discipulus, peccatores ad pænitentiam hortatur, " dum satisfactio et remissio facta per *sacerdotes* apud Dominum grata est " [4]. Alii cum *S. Ambrosio* explicite dicunt *apostolis* et *sacerdotibus* inesse potestatem remittendi peccata [5].

---

[1] Sess. XIV, can. 10, **Denz.-Bann.**, 920 (798). — Cfr. *Codex*, can. 871.
[2] *Ad Philadelph.*, 3, 2, **Journel**, 56.
[3] *De Pænit.*, n. 9, **Journel**, 315. — [4] *De lapsis*, c. 28, **Journel**, 553.
[5] *De Pænit.*, lib. I, c. 2, **Journel**, 1297.

Per quatuor priora sæcula, potestas clavium fere exclusive ab episcopis exercebatur; quarto autem sæculo, presbyteris quibusdam, nempe pænitentiariis, concessa est auctoritas confessiones audiendi et peccatores absolvendi; a quinto ad octavum sæculum hæc potestas ad plures alios presbyteros extensa est; et jam a sæc. VIII ad omnes sacerdotes [1].

Solvuntur difficultates [2]. (A) Pauca tantum animadvertere liceat de *pneumaticis*. Non diffitemur quidem quosdam, in primævâ Ecclesiâ, specialibus charismatibus fuisse donatos, quæ describuntur a S. Paulo; sed nullibi dicitur ipsis concessam esse potestatem remittendi peccata. — Tertullianus, jam montanista factus, hanc potestatem *spiritualibus* adscribit, sed, non obstante ejus ingenio, hæc assertio mox universim reprobata fuit, etiam a S. Cypriano, ejus discipulo. Nil igitur exinde deduci potest contra nostram thesim.

705. (B) Nonnulli objiciunt *confessores* et *martyres* privilegium obtinuisse *libellos pacis* concedendi, ideoque remissionem peccatorum. — Ex epistolis S. Cypriani evidenter constat hanc martyrum intercessionem fuisse quidem unum e motivis propter quæ pænitentia mitior aut brevior imponebatur, sicut hodie vi communionis sanctorum conceduntur indulgentiæ, sed minime fuisse veram absolutionem a peccatis; episcopos autem judicâsse quibusnam et quandonam reconciliatio concedi debeat [3]. Jamvero hæc doctrina approbata fuit non solum ab episcopis africanis, sed etiam ab Ecclesiâ Romanâ, ut jam supra notavimus, n. 687.

706. (C) Alia tamen difficultas exsurgit ex interventu *diaconorum* in administratione pænitentiæ. *S. Cyprianus*, de lapsis scribens qui in periculo mortis erant, dicit eos *exomologesim* facere posse apud presbyterum, aut, si presbyter desit, apud *diaconum* [4].

Hic agitur de *reconciliatione externâ* cum Ecclesiâ, quæ quoad peccatores, præcedere debebat administrationem viatici. Quæstio enim erat de *lapsis* qui libellum pacis a martyribus acceperant, simulque gravi infirmitate laborabant, et in periculo mortis versabantur. Episcopus permittit presbyteris, et, si desint, diaconis pænitentiam infirmis dare per impositionem manuum, ut, pænitentiâ acceptâ, atque actu contritionis elicito, morituri possint communionem accipere, et ita ad Dominum accedere cum pace.

---

[1] Tixeront, III, 253.
[2] P. Laurain, *De l'intervention des laïques, des diacres... dans l'administration de la Pénitence*, 1897.
[3] *Epistolæ* 9, 10, 11, 13, 17, 26, 30, etc., *P. L.*, t. IV, pp. 252, 255, 257, 260, 270, 304-305. — [4] *Epist.* 12, *P. L.*, t. IV, p. 259.

707. (D) Objicitur etiam aliquando *monachos*, qui sacerdotio initiati non erant, confessiones audiisse.

Resp. Fatemur equidem Medio Ævo, præsertim in Oriente, rem *aliquando* se ita habuisse, quia videlicet populus christianus, pravis moribus sæcularium sacerdotum scandalizatus, regularibus peccata confiteri sæpe mallebant, etiam iis qui sacerdotes non erant : hic autem erat abusus ex ignorantiâ ortus qui non diu perseveravit.

708. (E) Urgent : Medio Ævo invaluit usus ut in periculo mortis, deficiente sacerdote, confessio laicis fieret; hanc praxim commendârunt doctissimi theologi, immo ejus necessitatem docuerunt, v. g., *Lanfrancus* [1], *Petrus Lombardus* [2], *Rob. Pullus* [3], *Albertus Magnus* [4], *S. Thomas* [5], aliique; ergo etiam laici absolvere possunt.

Resp. Præfati Doctores minime docent laicos potestatem habere absolvendi, quamvis teneant, in casu necessitatis, *utile* aut *necessarium esse peccata laico confiteri.* Hanc opinionem acceperunt ab auctore libri de verâ et falsâ pænitentiâ, qui *S. Augustino* immerito adscribebatur; en verba Pseudo-Augustini [6] : "Qui vult confiteri peccata ut inveniat gratiam, quærat sacerdotem qui sciat ligare et solvere... *Tanta itaque vis est confessionis, ut si deest sacerdos, confiteatur proximo...* Etsi ille cui confitebitur, *potestatem solvendi non habeat*, fit tamen dignus veniâ ex sacerdotis desiderio, qui crimen confitetur socio". Ex quo sequitur laicos potestate absolvendi carere. Idem tenet *S. Thomas* (l. c.) ubi dicit : "Sed quando necessitas imminet, debet facere pænitens quod ex parte suâ est, scilicet conteri, et confiteri cui potest; qui, quamvis *sacramentum perficere non possit*, ut faciat id quod ex parte sacerdotis est, absolutionem scilicet, defectum tamen sacerdotis summus sacerdos supplet". Laici igitur, dum confessiones audiebant in casu necessitatis, potestate absolvendi non gaudebant; sed Christus ipse, occasione hujus humilis confessionis, remissionem peccatorum bene dispositis impertiebatur. Attamen, propter hunc interventum, diaconi a quibusdam theologis hujus ætatis vocabantur ministri *extraordinarii* sacramenti Pænitentiæ [7].

---

[1] *De Celandâ confessione*, *P. L.*, t. CL, p. 629 sq.
[2] *Sentent.*, lib. IV, dist. 17.
[3] *Sentent.*, lib. VI, cap. 51, 301-302, *P. L.*, t. CLXXXVI, p. 897.
[4] *In IV Sentent.*, dist. 17, art. 58-59.
[5] *Supplem.*, q. 8, a. 2, ad 1.
[6] *P. L.*, t. XL, p. 1122.
[7] A. Vacant, *Dict. de Théol.*, I, p. 182-189.

§ II. De potestate jurisdictionis.

709. 1° **Prænotanda.** (A) *Notio jurisdictionis.* (a) Jurisdictio ecclesiastica *in genere* definitur *potestas regendi subditos ad finem supernaturalem.* Triplex est : *legislativa*, ad leges ferendas, *judiciaria*, ad sententias auctoritative ferendas, et *coactiva*, ad pœnas infligendas.

(b) Jurisdictio, quæ ad *sacramentum Pœnitentiæ* requiritur, est *judiciaria*, cùm hoc sacramentum sub formâ judiciali ministretur, et quidem *fori interni*, cùm directe et primario privatam cujuslibet fidelis utilitatem respiciat, immo et fori *pœnitentialis*, ut sic distinguatur a jurisdictione fori interni *extra-pœnitentialis*, quæ extra confessionem sacramentalem exerceri potest, v. g., dispensando in voto, tollendo censuram cum effectu in foro interno tantum.

(c) Unde jurisdictio confessarii definiri potest *potestas supernaturalis, externo superioris actu collata, quâ sacerdos judicium exercere potest erga subditos in foro interno ac pœnitentiali.* Confertur autem designando *subditos* in quos exerceri valeat potestas absolvendi, vel *locum* ubi legitime exerceatur.

(B) *Erravit Synodus Pistoriensis* asserens non esse necessarium, sed tantùm conveniens, ad validitatem absolutionis, ut confessarius jurisdictione polleat [1].

710. 2° *Thesis :* **Præter potestatem ordinis requiritur, ad validam absolutionem, potestas jurisdictionis, quæ non accipitur vi solius ordinationis, sed superiorum ecclesiasticorum concessione.**

(A) *Prius*, videlicet *jurisdictionem ad validam absolutionem requiri*, (a) docet *Tridentinum* [2], præludente *Decreto ad Armenos* [3] : " Minister hujus sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris"; id est, jurisdictionem ordinariam aut delegatam; (b) confirmat *rat. theol. :* siquidem potestas remittendi vel retinendi peccata per modum *judicii* exercetur; atqui potestas judicialis valide exerceri nequit nisi in

---

[1] Denz., n. 1537 (1400). — [2] Sess. XIV, cap. 7. Denz.-Bann., 903 (782).
[3] Denz.-Bann., 699 (594). — Cfr. *Codex*, can. 872.

subditum, id est in eum qui judicis auctoritati seu jurisdictioni subjectus fuit a legitimo superiore : si enim judices indiscriminatim quaslibet causas tractarent, nulla esset inferiorum ac superiorum subordinatio, sed totus justitiæ ordo turbaretur.

(B) *Posterius* autem, videlicet *hanc jurisdictionem non conferri vi solius ordinationis, sed superiorum concessione*, ex jam probatis sequitur. Nam *Tridentinum* (l. c.), declarando absolutionem sacerdotis jurisdictione carentis esse nullius valoris, supponit aliquem sacerdotem posse jurisdictione carere; atqui si jurisdictio vi solius ordinationis haberetur, amitti non posset.

711. 3° **Corollaria.** (A) *Jurisdictio variis modis limitari potest a superioribus, præsertim a R. Pontifice.* Qui enim jurisdictionem concedere possunt vel non, a fortiori possunt eam conferre modo plus minusve limitato, *quoad homines*, *quoad locum*, *quoad tempus*, *quoad peccata.* Ait enim *Tridentinum*[1] : " Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur ".

(B) *Communiter*[2] *tenetur jurisdictionem requiri etiam ad absolutionem peccatorum venialium.* Hoc quidem negârunt multi veteres theologi, etiam primi nominis, ut *S. Thomas* et *Scotus*[3], quia venialia etiam aliis sacramentis, in quibus non requiritur jurisdictio, remitti valent. Sed *Innocentius XI*[4] injunxit episcopis non permittere "ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut Ordinario ". Et merito, cùm etiam venialia in sacramento Pænitentiæ remittantur per modum judicii.

---

[1] Sess. XIV, cap. 7, **Denz.-Bann.**, 903 (782).

[2] Dico *communiter*, quia pauci cum **Ballerini**, *Opus Morale*, De Pænit., n. 555, contrarium tenent et decretum *Innocentii* intelligunt de liceitate, non autem de validitate absolutionis.

[3] **S. Thomas**, *In IV Sent.*, dist. 18, q, 2, a. 3, sol. 1, ad 3; **Scotus**, *In IV Sent.*, dist. 18, q. 4, a. 2, sol. 3.

[4] Decreto *Cùm ad aures*, apud **Denz.**, n. 1150 (1086).

Caput ij.

DE PÆNITENTIS ACTIBUS.

Potestas clavium, *modo judiciali* exercenda, quosdam actus supponit ex parte pænitentis. Tres vero actus præcipuos exomologesis superius descripta complectebatur : *confessionem peccatorum* coram Dei ministris; *contritionem* seu peccati odium et detestationem; *satisfactionem*, id est, longam et laboriosam delicti expiationem : de quibus seorsim dicendum.

Art. I. De confessione peccatorum.

712. **Status quæstionis.** 1° *Confessionis notio.* (A) In *veteri Lege*, agnoscebatur quædam peccatorum confessio, et quidem multiplex : —

(a) Confessio Deo facta, ad facilius remissionem peccatorum obtinendam : " Qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur "[1]; (b) confessio generalis quâ supremus Pontifex iniquitates populi Israel semel in anno publice recitabat : " Tunc offerat hircum viventem; et positâ utrâque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel "[2]; (c) confessio magis specifica, quæ fiebat sacerdotibus, quando sacrificium pro peccato offerebatur, quia victima diversa erat pro peccatorum diversitate, vel etiam quando restitutio facienda erat[3]. (d) Judæi, qui a Joanne baptizabantur, sua peccata confitebantur[4], ut sic efficacius propositum pænitentiam agendi manifestarent : hæc autem confessio non erat sacramentalis[5].

(B) Postquam vero institutum est pænitentiæ sacramentum, confessio peccatorum fuit unus ex actibus ad remissionem peccatorum requisitis, et sæpe vocata est *exomologesis*.

Quæ vox apud Patres duo significat : *totam actionem pænitentiæ*, seu longam et laboriosam seriem actuum quibus remissio peccatorum obtinebatur; et primam partem hujus pænitentiæ, nempe *peccatorum declarationem*, sive publicam, sive privatam.

---

[1] *Prov.*, XXVIII, 13; cfr. *Eccli.*, IV, 31. — [2] *Levit.*, XVI, 20-21.
[3] *Levit.*, IV, 3-35; V, 1-13; VI, 1-7; *Num.*, V, 6-7. — [4] *Matt.*, III, 6.
[5] Cfr. **Vacant.**, in *Dictionnaire de la Bible* (*Vigour.*), vocabulo *Confession.*

Hoc ultimo sensu intellecta, confessio sacramentalis est *accusatio propriorum peccatorum, post baptisma commissorum, legitimo sacerdoti facta, ad veniam absolutione consequendam.*

713. 2° *Errores de confessionis necessitate.* Hanc negârunt : (a) *Wicleffus*, dicens : "Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis"; quæ propositio damnata fuit a *C. Constantiensi*[1]; (b) *Lutherus*, qui tamen non sibi consistens, asserebat modo confessionem esse "cruentissimam carnificinam, quæ miseras torquet conscientias", modo "afflictis conscientiis optimum remedium"[2]; (c) *Calvinus*[3], qui contendit auricularem confessionem, prout existit apud Romanistas, non a Christo, sed ab *Innocentio III* in Conc. *Lateranensi* fuisse institutam, et rem esse Ecclesiæ noxiam; (d) *moderni Protestantes*, etiam *Ritualistæ*, qui, licet ejus utilitatem agnoscant, tamen ejus necessitatem rejiciunt[4].

714. Argumenta, quibus *hodierni protestantes* divinam institutionem simul et necessitatem confessionis impugnant, ab historiâ desumuntur et ad hæc reducuntur : (a) Inveniuntur quidem, apud auctores sacros et Patres, testimonia quædam de confessione : sed ibi agitur de confessione *coram Deo*, non autem apud sacerdotes factâ; (b) aliunde confessio, quam antiqui Patres commemorant, non est auricularis, nec proinde sacramentalis, sed *publica* et ad reparandum scandalum communitati datum; (c) a sæculo septimo, in *Pœnitentialibus*, describitur quidem auricularis confessio, sed ex modo quo peragitur, ex multis precibus recitatis, jejuniis ad hanc requisitis, aliisque adjunctis, clare colligitur eam fuisse *valde extraordinariam*; (d) ceterum, etiam sæculo XII, de ejus necessitate dubitabatur, et quidam asserebant confessionem Deo factam sufficere, quin opus esset sacerdotibus confiteri. Ex quibus patet nonnisi sæculo XIII confessionem auricularem tanquam necessariam habitam fuisse[5].

715. 3° *Doctrina catholica.* Contra hos errores, *Tridentinum*[6] exponit doctrinam catholicam :

(a) De *divinâ institutione* et *necessitate* confessionis :

"Ex institutione sacramenti Pœnitentiæ jam explicatâ, universa Ecclesia semper intellexit *institutam etiam esse a Domino integram*

---

[1] **Denzing.**, 587 (483).
[2] Apud **Moehler**, *Die Symbolik*, § 33. — [3] Cf. *Instit.*, l. III, c. 4
[4] **Morgan Dix***, *op. cit.*, p. 90.
[5] Quæ argumenta fuse exponit **Lea***, *op. cit.*, t. I, p. 168-273.
[6] Sess. XIV, cap. 5.

peccatorum confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis *jure divino necessariam* existere : quia Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad cælos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides et *judices*, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint : quo, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim, sacerdotes judicium hoc, *incognitâ causâ*, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, et non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a pænitentibus *omnia peccata mortalia*, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint ".

Tria hic asseruntur : *divina institutio* confessionis, ejus *necessitas*, necnon ejus *objectum*, videlicet *omnia peccata mortalia* post baptismum commissa, quorum conscientia habetur.

716. (b) Quoad *modum* vero *confitendi*, secretum aut publicum, addit S. Synodus :

" Ceterum, quoad modum confitendi *secreto* apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua *publice* confiteri possit ; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publicâ essent confessione aperienda.

Unde, cùm a sanctissimis et antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu, secreta confessio sacramentalis, *quâ ab initio Ecclesia sancta usa est*, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata ; manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, et inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse. docere non verentur ".

Ex quibus colligitur confessionem, sive *sècretam* sive *publicam*, esse vere sacramentalem ; neque tamen expedire ut præcipiatur confessio *publica* delictorum præsertim occultorum. Aliunde asseritur, etsi non definiatur, confessionem secretam *ab initio* Ecclesiæ in usu fuisse.

Ad quod melius intelligendum, sciendum est hanc quæstionem diligenter a theologis et episcopis Concilii fuisse perpensam ; quidam censebant secretam seu auricularem confessionem a Christo institutam esse ; alii vero putabant Christum confessionem quidem instituisse, sed nullo modo determinasse utrum secreta an publica

esse deberet[1]. Concilium rem definire noluit, sed solummodo declaravit modum confitendi secrete non esse alienum ab institutione Christi, id est, juxta *Suarez*[2], non esse contrarium nec repugnare divino præcepto, immo esse consentaneum.

Quare duplex erit thesis : prior de *ipsâ confessione;* posterior de *modo confitendi ;* posteaque *utilitatem* confessionis ratione ostendemus.

717. *Thesis 1ª :* **Confessio sacramentalis est jure divino necessaria iis omnibus qui gravia peccata post baptismum commiserunt, eisque obligatio incumbit omnia et singula mortalia peccata confitendi.**

De fide est ex Tridentino[3] *:* " Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; A. S. — Si quis dixerit in sacramento Pænitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debitâ et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta..., A. S. "

718. **Explicatur**. Diximus : (**a**) *confessio sacramentalis*, abstrahendo a quæstione utrum *publica* sit an *privata* seu *auricularis :* utraque enim est sacramentalis ; (**b**) *jure divino necessaria*, et quidem *strictè*, sub pœnâ damnationis; hæc autem necessitas oritur ex præcepto *positivo*, ideoque quasdam patitur exceptiones ; (**c**) *peccata mortalia*, cùm venialia possint absque confessione remitti ; (**d**) *omnia* autem mortalia etiam *interna* et *occulta*, et *singula distinctè* accusari debent, in quantum fieri potest.

Hìc autem notare expedit multa peccata, quæ hodie ut mortalia a theologis habentur, a quibusdam Patribus vocari venialia seu *minuta :* ita *Cæsarius Arelat.* inter *minuta* peccata commemorat juramenta, perjuria, detractiones, otiosos sermones, odium, iram, gulam, invidiam, etc.[4]; jamvero illa sola peccata accusare tenebantur fideles, quorum gravitatis conscii erant.

[1] Cfr. Theiner, *Acta genuina C. Trid.*, t. I, pp. 531, 540, 549, 557, 562, 580, 592, etc. — [2] Suarez, *De Pænit.*, disp. XXI, sect. II, n. 12.
[3] Sess. XIV, can. 6-7. — [4] *Sermo* 257, *P. L.*, XXXIX, p. 2220.

Fundamentum hujus doctrinæ in *Scripturâ* habetur; plena probatio ex *Traditione* desumitur.

I. Confessionis institutio et necessitas ex Scripturâ infertur[1].

719. 1° Ex verbis *S. Matthæi* de potestate clavium, necnon *S. Joannis*, circa potestatem remittendi et retinendi peccata : (a) Christus sacramentum Pænitentiæ instituit per modum *judicii*. Atqui tale judicium proferri nequit sine præviâ confessione omnium mortalium; nam judicium æquum et sapiens ferri non potest nisi *causâ cognitâ*, et quidem in particulari; et aliunde causa regulariter cognosci nequit absque pænitentis confessione, qui *solus* peccata sua *secreta* revelare potest, aut etiam externorum peccatorum veram *malitiam*, quæ ex interno actu voluntatis pendet.

(b) Præterea potestas Apostolis eorumque successoribus collata amplectitur facultatem tum *remittendi* tum *retinendi* peccata. Porro ad hoc generaliter requiritur *integra* et *distincta* mortalium confessio : antequam enim spiritualis judex sententiam ferat, debet scire utrum peccata commissa fuerint an non, immo eorum *numerum* et *gravitatem* cognoscere, necnon peccatoris *intimas dispositiones*, ut prudenter judicare valeat utrum remitti an retineri debeant, et qualis satisfactio imponenda sit.

720. 2° Ex iisdem textibus colligitur nullum aliud esse medium obtinendi remissionem peccatorum præter confessionem quâ peccata jurisdictioni pænitentiali subjiciuntur :

(a) Etenim si Christus, sacrum tribunal instituendo, non præcepisset peccatoribus ad hoc recurrere, sacerdotum potestas illusoria esset; quis enim humili confessioni se submitteret, si aliud esset medium minus laboriosum?

(b) Potestas peccata remittendi, utpote quædam specialis attributio potestatis clavium, eamdem vim habet ac potestas clavium. Porro potestas clavium supponit

[1] **Cambier**, *De divinâ institutione confessionis* (thesis), Lovanii, 1884; **Palmieri**, th. 33, p. 401-419; **L. de San**, n. 756-780; **Mangenot**, *Dict. de Théol.*, t. III, verbo *Confession*.

vim obligandi omnes fideles in peccatum mortale post Baptismum lapsos, ut ad illam recurrant pro istiusmodi vinculi solutione : " Tibi dabo claves regni cælorum ; quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælo... ". Sicut enim nemo in domum, quæ clausa est, ingredi potest, nisi janitor ostium aperiat, ita nemo, cui porta cæli per peccatum mortale clausa est, regnum Dei ingredi potest, nisi porta a janitore, cui Christus claves tradidit, aperiatur; secus potestas clavium illusoria esset.

(c) Confirmatur ex Johannei textûs ultimâ parte " *et quorum retinueritis retenta sunt*"; cujus sensus est : si retinueritis vos, retineo et ego. Peccatum igitur non remittitur a Deo, Apostolis retinentibus; et ideo peccator Apostolicâ potestate eget pro veniâ assequendâ; nam aliter, Apostolis retinentibus, Deus non retineret, et vana evaderet Apostolorum potestas.

721. In medium proferuntur quidam alii textus qui ad confessionem sacramentalem spectare videntur; de quibus pauca adnotare liceat.

(a) In libro *Actuum* (XIX, 18) legitur : " Multique credentium veniebant *confitentes* et annuntiantes actus suos ". Non pauci theologi, cum *Bellarmino*, putant hìc agi de fidelibus et de confessione sacramentali; nam græca vox ἐξομολογούμενοι hìc adhibita, ea est quâ Græci utuntur ad confessionem sacramentalem designandam. Multi vero alii, quales sunt *Beelen*, *Patrizi*, tenent hìc sermonem esse de Judæis et Gentilibus nondum baptizatis sed, ob visum prodigium, conversis et credere incipientibus; proinde non de confessione sacramentali, sed de illâ generali peccatorum accusatione, quæ baptismum præcedebat. Hanc ultimam sententiam ut probabiliorem habemus.

(b) Allegantur etiam verba *S. Jacobi*[1] : "Confitemini ergo alterutrum peccata vestra ". Multi sane Patres[2] et theologi hæc intelligunt de confessione sacramentali; proferuntur enim post verba de remissione peccatorum per sacram unctionem : sensus est igitur infirmos debere confiteri peccata sua, et vox *alterutrum* designat unum e sacerdotibus in præcedenti versiculo designatis. — Sed non pauci alii, ut *Beelen*, censent hìc agi de confessione factâ viro prudenti, ad petendum ab eo consilium et auxilium ejus orationis impetrandum. Quæ pariter interpretatio vere probabilis est.

[1] *Jacob.*, V, 16.
[2] Inter quos **Origenes**, *homil. 2 in Levit.*, *P. G.*, t. XII, p. 419.

II. Confessio sacramentalis Traditione probatur[1].

722. **Status quæstionis.** (a) Contendunt Protestantes confessionem non esse jure divino institutam, cùm, etiam sæc. XII°, inter Doctores quæstio agitaretur utrum *sacerdotibus* peccata confitenda essent an *soli Deo*, ut constat ex verbis Decreti Gratiani (1145)[2].

"Quidam *Deo* solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci. Quidam vero *sacerdotibus* confitenda esse percensent, ut fere tota sancta Ecclesia. Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam, ita dumtaxat ut Deo, qui remissor est peccatorum, peccata nostra confiteamur, et hoc perfectorum est... sed tamen Apostoli institutio nobis sequenda est, ut confiteamur alterutrum peccata nostra, et oremus pro invicem ut salvemur. Confessio itaque, quæ soli Deo fit, quod justorum est, purgat peccata. Ea vero quæ sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata".

(b) Respondemus autem, tempore Gratiani, aliquot dubia hâc de re orta esse, quia confessio, etsi antiquissima, pars erat disciplinæ pænitentialis quæ tunc temporis paulatim in desuetudinem abibat; unde factum est ut quidam, pauci tamen numero, de ejus necessitate et divinâ institutione dubitarent. Sed hujusmodi dubia primævis Ecclesiæ temporibus non vigebant, ut mox ostendemus.

Tria præsertim stadia in confessionis historiâ delineari possunt : 1° quatuor prioribus sæculis prævalet *pænitentia publica*, cujus pars erat confessio peccatorum sive publica sive occulta ; 2° a quinto ad duodecimum, pænitentia minus rigorosa evadit, et confessio *privata* fit frequentior; 3° a sæculo duodecimo, cessante pænitentiâ publicâ, *sola* remanet *privata* confessio et satisfactio. Duo priora stadia delineare sufficit.

1° *Confessio sacramentalis per quatuor priora sæcula floruit.*

Duplex argumentum afferemus : prius e *disciplinâ pænitentiali;* posterius e *Patrum testimoniis.*

[1] **Morinus,** *op. cit.*, lib. II; **Palmieri,** th. 33-35, p. 401-449; **Cambier,** *op. cit.*, p. 96-323; **L. de San,** n. 779-870; **Pignataro,** *op. cit.*, p. 25-56; **Pellé,** *op. cit.*, p. 279-449; **Vacandard,** *La Confession sacramentelle dans l'Eglise primitive*, Paris, Bloud, 1903, et ap. **Mangenot,** *Dict. de Théol.*, verbo *Confession.* — [2] *De pænitent.*, dist. I, c. 90, p. 1189 ed. *Friedberg.*

723. (A) Probatur *argumento generali* ex ipsâ *pænitentiali disciplinâ* desumpto. Talis siquidem erat hujusmodi disciplina ut aliquam confessionem, sive publicam sive occultam, necessario supponeret.

(a) *Facta exponuntur.* Disciplina pænitentialis consistebat in complexu operum pœnalium quæ Ecclesia christiano peccatori *imponebat*, et ex indole hujus obligationis necessitas confessionis clare apparet.

Etenim : 1) hæc obligatio erat *strictissima*, sub pœnâ æternæ damnationis : quando fideles de severitate hujus pænitentiæ querebantur, Patres respondere non dubitabant medium non dari inter hanc et pœnas inferni; 2) *auctoritate Dei ipsius* imponebatur : quando martyres lapsis libellos præbebant quibus a pænitentiâ liberarentur, S. Cyprianus aliique episcopi id reprobabant, asserentes neminem posse dispensare a lege divinitus statutâ; 3) obligatio pænitendi se extendebat ad *omnia peccata* quæ Ecclesia tanquam *gravia* existimabat, ideoque non solum ad gravissima crimina, sed ad communia delicta, quæ a receptione sacræ communionis arcebant, v. g., furta, impudicitiæ, fraudes, judicia temeraria, violatio fidei, etc. [1]; nec solum ad publica et externa, sed etiam ad *occulta* et *interna*, prout docet *S. Pacianus :* "Addo etiam non solum manus in homicidio plecti, sed et omne *consilium* quod alterius animam impegit in mortem; nec eos tantum qui thura mensis adolevere profanis, sed omnem prorsus libidinem extra uxorium thorum et complexus licitos evagantem" [2]; 4) *modus pænitendi* arbitrio peccatoris non relinquebatur, sed ab *ipsâ Ecclesiâ* determinabatur, nempe ab Episcopo aut ejus vices gerente.

724. (b) *Conclusio eruitur.* Porro hæc omnia necessario *supponunt aliquam peccatoris confessionem episcopo factam*, sive agnoscendo veritatem peccatorum quæ auctoritati ecclesiasticæ denuntiata fuerant, sive spontanee confitendo delicta a se commissa : quomodo enim Ecclesiæ minister potuisset inter pænitentes accipere posteaque absolvere eos quorum delicta ejus judicio subjecta non fuerant? Ergo ex ipsâ institutione disciplinæ pænitentialis constat thesis nostra, quæ ceteroquin multis Patrum testimoniis confirmatur.

[1] Tertul., *De pudicitiâ*, c. 18, *P. L.*, 1017; c. 19, *P. L.*, 1028; S. Cyprian., *epist.* IX, n. 2, *P. L.*, IV, 251; S. Pacianus, *Ep. ad Sempronianum*, c. 24; *P. L.*, XIII, 1079; *Parænesis ad pænit.*, c. 4, *P. L.*, XIII, 1083.

[2] *Parænesis ad pænit.*, c. 5, 6, 7, *P. L.*, XIII, 1084 sq.

725. (B) Probatur *testimoniis Patrum*. Antequam singula afferamus, prænotamus aliquem fuisse progressum in expositione hujus dogmatis et in praxi confessionis. 1) Divina institutio et necessitas confessionis non explicite, sed *implicite* tantum in allatis Scripturæ textibus continentur : nonnisi modo *generali* et *confuso* designatur materia confessionis. 2) De *tempore* quo urget confessionis præceptum, de *modo* confitendi, secreto an publico, nil statuitur. 3) Tandem præceptum ligat tantum eos qui conscii sunt peccati mortalis; jamvero, ut supra dictum est, n. 718, his temporibus tanquam *minuta* habebantur multa peccata quæ hodie, propter christianæ conscientiæ educationem, ut mortalia agnoscuntur; aliunde usus non vigebat confitendi venialia, devotionis causâ. 4) Ex altero capite, non pauci peccatores a confessione deterrebantur ob laboriosam et diuturnam pænitentiam quæ tunc imponi solebat; et, cùm nullum speciale tempus præfiniretur ad confessionem instituendam, multi eam plus æquo differebant.

Confessio igitur *minus frequens* erat quàm nostris temporibus, ideoque non sæpe a Patribus commemoratur.

726. (a) *Sæculo secundo*, *S. Irenæus* de confessione loquitur tanquam *necessariâ* ad gratiam recuperandam.

Narrat enim quasdam mulieres a Marco, mago et hæretico, fuisse corruptas, et addit : " Hæ sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt et secundum corpus exterminatas se ab eo velut cupidine, et inflammatas valde illum dilexisse"[1]. Hanc autem confessionem esse *necessariam* infertur ex sequentibus : " Quædam quidem etiam in manifesto exomologesim faciunt; quædam autem reverentes hoc ipsum, in silentio sensim semetipsas retrahunt, *desperantes* a vitâ Dei"[2]; nam quæ, ob pudorem, peccata sua confiteri noluerunt, gratiam Dei non receperunt et in desperationem lapsæ sunt.

727. (b) *Sæculo tertio*, plura jam habemus testimonia, in Ecclesiâ tum latinâ tum græcâ, non solum de confessione publicâ, sed etiam de privatâ.

1) Publicam confessionem describit *S. Cyprianus* : " Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum

[1] *Contra hæres.*, l. I, c. 13, n. 7, *P. G.*, t. VII, p. 587.
[2] *Ibid.*, n. 7, p. 591.

adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti *confessio* ejus potest, dum satisfactio et remissio facta *per sacerdotes* apud Dominum grata est"[1]. Ibidem[2] laudat eos qui, licet idololatriam externe non commiserunt, "quoniam tamen de hoc *cogitaverunt*, hoc ipsum apud *sacerdotes* Dei dolenter et simpliciter confitentur". Hìc sane agitur de confessione sacramentali factâ sacerdotibus, et in quâ manifestantur etiam *interna* peccata seu cogitationes.

2) *Origenes* de variis mediis loquens quibus obtineri possit peccatorum remissio, sacramentalem confessionem sic commemorat[3]: "Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa per pænitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis suis stratum suum, et fiunt ei lacrymæ panes die ac nocte, et cum non erubescit *sacerdoti Domini indicare peccatum* suum et quærere medicinam"... Hujus confessionis *necessitatem* diserte asserit atque comparatione illustrat[4]: "Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut ii qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immanentis abundantiam, si vomuerint, relevantur; ita etiam hi qui peccaverunt, si quidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, et propemodum suffocantur a phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam".

3) Quibus verbis addi possunt quæ scribit *S. Petrus Alexandrinus* de occulto raptore[5]: "Deinde per *confessionem* peccatum suum *sacerdoti* manifestans, nitens in contrarium, eleemosynas scilicet faciens, curabit infirmitatem".

728. (c) *Sæculo quarto*, frequentius adhuc Patres de utroque confessionis genere disserunt.

1) Ita, apud *Latinos*, *S. Ambrosius*, ad pænitentiam et confessionem peccatores sic hortatur: "Et nos ergo non erubescamus fateri Domino peccata nostra. Pudor est ut unusquisque crimina sua prodat; sed ille pudor agrum suum arat, spinas tollit perpetuas[6]... Sed si vis justificari, fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum"[7]. Hìc autem agi de confessione non soli Deo factâ, sed etiam ejus ministris, ex sequentibus patet[8]: "Nonnulli ideo poscunt pænitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt quam *sacerdotem ligare*: suam enim conscientiam culpâ non exuunt, et sacer-

[1] *De Lapsis*, c. 29, *P. L.*, t. IV, 489. — [2] *Ibid.*, c. 28, *P. L.*, IV, 488.
[3] *Homil. in Levit.*, II, 4, *P. G.*, t. XII, p. 418.
[4] *Homil. II in Ps.* XXXVII, n. 6, *P. G.*, XII, 1386; **Kirch**, n. 216.
[5] Ap. **Mai**, *Spicilegium Romanum*, t. VII, p. 465.
[6] *De pænitent.*, l. II, c. 1, *P. L.*, t. XVI, p. 497.
[7] *Ibid.*, c. 6, p. 507. — [8] *Ibid.*, c. 9, p. 517-518.

dotis induunt, cui præceptum est : *Nolite sanctum dare canibus*"... Ibi enim supponitur sacerdotes esse *judices*, eosque peccato ligari, si citius absolvunt.

S. Pacianus, qui tam explicite asseruerat potestatem remittendi peccata sacerdotibus inesse, supra n. 690, non minus diserte confessionis, etiam occultorum peccatorum, necessitatem urget : "Quid facies, tu qui decipis sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem probandi difficultate confundis? Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos... Peccator timebit? Peccator erubescet perpetuam vitam præsenti pudore mercari?... Quod si fratrum oculos erubescitis, consortes casuum vestrorum timere nolite"[1].

729. 2) In Ecclesiâ *Orientali*, hæc notatu sunt digna. *Aphraates*, sapiens Persa dictus, de pænitentiæ et confessionis necessitate ita loquitur (an. circiter 340) : "Ita eum qui a Satana percussus fuit, non debet pudere delictum suum confiteri, illudque relinquere, et pænitentiam in remedium postulare. Qui vulnus suum prodere erubescit, gangrænâ corripietur, totumque corpus damno inficiet; quem autem non pudet vulnus manifestare, sanabitur et ad prælium iterum descendet... Ita prorsus ei qui in agone nostro superatus est, hæc superest via sanitatem recipiendi, ut scilicet dicat : *Peccavi*... Vos igitur, medici, qui insignis Medici nostri estis discipuli, non debetis medicinam iis denegare quibus curatione opus est". Hic sane agitur de confessione *sacerdotibus* factâ, qui nomine spiritualium medicorum designantur; et quidem de confessione *occultâ;* nam sacerdos peccata accusata non debet aliis manifestare; sacerdotes enim ita alloquitur : "Cumque ipsam (infirmitatem spiritualem) vobis revelaverit, nolite eam publicare, ne propter illum ab inimicis et ab iis qui nos oderunt, innocentes in culpâ esse judicentur"[2]. — Brevius, sed non minus directe *S. Gregorius Nyssenus*[3] : "Qui autem latenti ablatione sibi alienum usurpat, si deinde per *enuntiationem peccatum suum sacerdoti aperuerit*, vitii studio in contrarium mutato ægritudinem curabit".

Quibus testimoniis confirmatur conclusio jam superius enuntiata, nempe *confessionem, quæ pars erat pænitentiæ publicæ, tanquam necessariam habitam esse.*

---

[1] *Parænesis ad pænitentiam*, *P. L.*, t. XIII, p. 1086.

[2] *Demonstratio*, VII, n. 3-4; *Patrol. syriaca*, curante *Graffin*, tom. I, p. 318-319.

[3] *Ep. canonica*, can. 6, *P. G.*, t. XLV, p. 234.

2° *Confessio sacramentalis a sæc. V° ad XII^{um}.*

Jam a sæculo V°, prima vestigia invenimus cujusdam *immutationis* in disciplinâ pænitentiali sive in genere sive quoad confessionem : paulatim videlicet abrogatur obligatio longam et laboriosam pænitentiam perficiendi ante absolutionis susceptionem, et frequentior fit confessio.

730. (A) **Immutatio disciplinæ pænitentialis.** Cujus præcipua causa ex eo desumitur quod fideles, pænitentiæ severitate perterriti, exomologesim nimis differebant, sæpe usque ad mortem. Exinde duplex nata est difficultas.

731. (a) Quoad *moribundos* : si absolutio peccatoribus denegatur antequam pænitentiam compleant, ex hâc vitâ sine communione migrabunt; si vero conceditur, eo ipso quoad eos saltem aboletur pænitentia. Re mature perpensâ, post non paucas disceptationes, *Innocentius I* mitiorem agendi modum approbavit : " Quæsitum est quid de his observari oporteat qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pænitentiæ simul et reconciliationem communionis exposcunt... Tribuetur ergo cum pænitentiâ extrema communio, ut homines hujusmodi vel in extremis suis permittente Salvatore nostro a perpetuo exitio vindicentur "[1].

732. (b) Quoad *sanos*, difficultas pariter oriebatur : vel enim absolutio morte instante tantummodo concederetur, vel mutanda erat antiqua disciplina : mitiorem solutionem amplexa est Ecclesia.

1) Jam enim sæculo quinto mitior evadit satisfactio seu pænitentia peragenda ante absolutionis susceptionem. *S. Augustinus* testatur suo tempore duplicem esse pænitentiam, unam *mitiorem* pro peccatis *occultis*, etiam gravissimis ut adulterio, alteram *strictiorem* pro peccatis *publicis* : sed hæc etiam mitigabatur[2]. Pariter *S. Leo*, *publicam* pænitentiam a *privatâ* distinguens, priorem imponit pro idololatriâ, homicidio et fornicatione, sed declarat alia peccata gravia, v. g., comedere de escis immolatitiis, posse jejuniis et manûs impositione purgari; alibi peccatores hortatur, qui inter publicos pænitentes non recensentur, ut quotannis, præsertim ante Pascha, mitiorem pænitentiam peragant, in quâ supplicationibus sacerdotum juvabuntur[3]. Quod et lucidius exponit *S. Cæsarius Arelaten-*

[1] *P. L.*, XX, 498; **Denzing.**, n. 95. Ibi etiam alia datur ratio, "et ne Novatiani hæretici negantis veniam asperitatem et duritiam sequi videamur ".

[2] *Sermo* LXXXII, 11, *P. L.*, XXXVIII, 511; cfr. *De fide et operibus*, 48; *Enchiridion*, 80; *Cont. lit. Petil.*, III, 44. — [3] *Epist.* CLXVII, inquisit. 19, *P. L.*, LIV, 1209; *Epist.* CVIII, 2, *P. L.*, LIV, 1011; *Sermo* XLIII, 2, 3; XLIV, 1; XLIX, 1, 2; L, 1, 2; *P. L.*, LIV, 282, 285, 301, 305 sq.

sis : "Et ille quidem qui pænitentiam publice accepit poterat eam secretius agere; sed, credo, considerans multitudinem peccatorum suorum, videt se contra tam gravia mala solum non sufficere, ideo adjutorium totius populi cupit expetere"[1]. — In Ecclesiâ græcâ similis mitigatio invenitur : haud raro absolvitur pænitens antequam satisfactionem compleverit, immo statim post peractam confessionem; leviora fiunt opera satisfactoria pænitenti imposita, eaque perfici possunt modo secreto, nisi agatur de publicis et gravioribus peccatis, v. g., fornicatione[2].

2) Eodem tempore non semel tantum, sed sæpe *absolutio* pænitentibus conceditur. Ita *S. Chrysostomus* peccatores benigne excipiebat, ita ut in synodo *ad Quercum* ab episcopo Isaacio insimulatus fuerit "quod licentiam peccantibus præbeat, sic docens : si iterum peccasti, pæniteat iterum; et quoties peccaveris, veni ad me, ego te sanabo"[3]. *S. Basilius* et *S. Joannes Climacus* etiam supponunt monachos satis frequenter absolvi[4].

3) Mox ad omnes fideles, etiam non ægrotantes, extenditur privilegium moribundis olim concessum, nempe absolutionem accipiendi statim confessione peractâ, quia nempe, ob perturbationes temporum, reapse aliquo modo in periculo mortis versantur. Ita inter *statuta S. Bonifacii* († 755) legitur (n. XXXI) : "Et quia variâ necessitate præpedimur canonum statuta de conciliandis pænitentibus pleniter observare, propterea omnino non dimittantur. Curet unusquisque presbyter statim post acceptam confessionem pænitentium singulos datâ oratione reconciliari. Morientibus vero sine cunctamine communio et reconciliatio præbeatur"[5].

733. (B) **Consectaria quoad confessionem.** Ex hâc immutatione disciplinæ pænitentialis, inter XIum et XIIum sæculum, orta sunt quædam dubia in mente fidelium, saltem in quibusdam regionibus, circa necessitatem confessionis sacerdotibus factam : cùm enim hæc esset veluti præparatio ad opera satisfactoria, quibusdam videbatur ejus obligationem cessare jam aboletâ publicâ pænitentiâ. Et ita explicatur textus Gratiani supra allatus. His paucorum dubiis non obstantibus, necessitas confessionis sacerdotibus factæ in Ecclesiâ prædicari non desiit.

---

[1] *Sermo* CCLXI, 1, *P. L.*, XXXIX, 2227.

[2] Pseudo-Areopagita, *epist.* VIII, 1, *P. G.*, III, 1088; *De ecclesiast. hierar.*, III, 2-3, 7, *P. G.*, III, 436, 453; S. Joannes Climac., *Liber ad Pastorem*, *P. G.*, LXXXVIII, 1196.

[3] Labbæus, *Concilia*, t. II, p. 1328.

[4] S. Basil., *Regulæ brevius tractatæ*, interrog. 229, 288; *P. G.*, XXXI, 1236, 1285; S. Joan. Climac., *Scala*, grad. IV, *P. G.*, LXXXVIII, 705.

[5] *P. L.*, LXXXIX, 823.

734. (a) Omnes *Doctores* illius temporis hanc necessitatem clare asserunt, ut constat præsertim ex operibus Alcuini et statutis Theodulphi. Prior directe exponit obligationem peccata confitendi sacerdoti, et non soli Deo[1]. Posterior asserit crimina publica deflenda esse secundum canonum et sanctorum Patrum institutionem, peccata vero occulta pænitentiâ privatâ expianda esse; hæc incipit a confessione in quâ pænitens declarat quidquid a juventute recordari possit ex omnibus modis quæ gessit; si pudore aut oblivione irretitus videtur, interrogari debet circa octo capitalia peccata, nempe gastrimargiam (gulam), fornicationem, acediam sive tristitiam, avaritiam, vanam gloriam, invidiam, iram, superbiam; postea, si promittit se delicta expiaturum et vitaturum, statim absolvitur.

Verum est quidem argumenta tunc temporis a Doctoribus allata ad probandam necessitatem confessionis, quam ex verbis Christi et Apostolorum directe probare conabantur, apodictica non fuisse; ideoque Abælardum putâsse hanc obligationem esse tantum ecclesiasticam. Hæc autem difficultas evanuit cùm S. Thomas validum attulit argumentum, non directe quidem ex verbis Domini, sed indirecte, ex ipsâ naturâ potestatis clavium.

735. (b) *Ecclesia* ipsa hanc necessitatem variis modis inculcavit :

1) Statuendo, jam a quinto sæculo, *sacram communionem* certis temporibus recipiendam esse, et aliunde peccatoribus necessitatem incumbere *peccata confitendi ante communionem;* ideoque confessariorum augendo numerum, quo facilius pænitentes ad eos recurrere valerent.

2) *Libros pænitentiales* edendo, in quibus exponebatur quænam pœnæ cuique peccato responderent, et tradebantur formulæ ad interrogandos pænitentes[2]. Hujusmodi libri, jam sæculo sexto in Hiberniâ et Angliâ recepti, ineunte sæculo septimo, a S. Columbano in Galliam et Italiam introducti sunt, et quidem eo fine ut

[1] *Epist.* CXII, *P. L.*, C, 338; cf. *De confessione peccatorum*, ad pueros S. Martini, *P. L.*, CI, 649; alibi, *De psalmorum usu*, I, 3, 9, *P. L.*, CI, 470, 478, recenset peccata de quibus confessarii pænitentes interrogare possunt.

[2] Quosdam ex his libris invenies ap. **Morinum**, *op. cit.*, Appendix; præcipue vero ap. **Wasserschleben,** *Die Bussordnungen der abendländischen Kirche*, 1851, et **H. G. Schmitz,** *Die Bussbücher und die Bussdisziplin der Kirche*, 1883; *Die Bussbücher und das Kanonische Bussverfahren*, 1898. Cf. **B. Brat**, *Les livres pénitentiaux et la pénitence tarifée*, Brignais, 1910; **Tixeront**, III, 387 sq. — Pauca, exempli gratiâ, excerpere liceat ex Pænitentiali *S. Columbani* (an. circiter 600) : "Si quis igitur per *cogitationem* peccaverit, id est concupierit hominem occidere, aut fornicari, aut furari, aut clam comedere et inebriari; vel certe aliquem percutere... majora (delicta) dimidio anno; minora quadraginta diebus, in pane et aquâ pœniteat... Si quis furatus fuerit, anno pæniteat. Si quis percusserit per rixam fratrem suum, et sanguinem fuderit, tribus annis pæniteat, etc. " (*P. L.*, LXXX, 225).

ostenderetur viam ordinariam ad peccatorum veniam consequendam esse confessionem privatam, quam sequebatur absolutio. Quapropter frequentiores jam fuerunt confessiones primum quidem in monasteriis, moxque inter ipsos fideles.

736. 3) *Pœnas canonicas* ferendo contra eos qui sine confessione peccatorum moriebantur; ita, v. g., Concilium *Chalcutense* (*Kent*) in Angliâ habitum, an. 787, explicite loquitur de confessione *sacerdoti factâ*, ejusque necessitatem his verbis inculcat : "Si quis autem (quod absit) sine pænitentiâ aut confessione de hâc luce discessit, pro eo minime orandum est" [1].

4) *Tempora definiendo* pro confessione faciendâ. Secundum regulam *Chrodegangi*, Metensis episcopi, canonici bis in anno confiteri debent episcopo, unâ vice initio quadragesimæ ante Pascha, alterâ vice a medio mense Augusto ad Kalendas Novembris [2]. Alia concilia tempora præfiniunt ipsis laicis; sic *C. Strigonense* (*Gran*), an. 1114, statuit laicos debere peccata confiteri et communionem accipere ter in anno, festis Paschæ, Pentecostes et Nativitatis Domini [3]. Hinc *C. Parisiense VI* præcipit sacerdotibus ut in suis parœciis maneant, "ne homines sine confessione et infantes sine baptismatis regeneratione plerumque moriantur" [4]. Ita paulatim via parabatur statutis *C. Lateranensis IV* (1215), in quibus decretum est fideles saltem semel in anno proprio sacerdoti sua peccata confiteri debere.

737. **Conclusio.** (**A**) Ecclesia igitur *totâ suâ agendi ratione* profitetur a primis sæculis, confessionem sacramentalem esse medium *divinitus institutum*, et quidem *necessarium* iis omnibus qui post baptismum *graviter* peccaverunt. Id apparet : (**a**) primum *indirecte* ex eo quod confessio habetur ut *conditio prævia* ad satisfactionem et absolutionem peccatorum necessaria; (**b**) postea magis *directe* quando, mitigatâ pænitentiali disciplinâ, Ecclesia *confessionem* habet tanquam *unum ex elementis constitutivis* privatæ pænitentiæ.

(**B**) Attamen admitti potest ac debet quidam profectus in *frequentiâ* confessionis et *modo* confitendi : hæc enim, utpote a Christo non distincte declarata, auctoritati Ecclesiæ relinquebantur, pro diversitate et opportunitate temporum, definienda.

[1] **Mansi**, XII, p. 949. — [2] **Mansi**, XIV, p. 320.
[3] **Hefele-Leclercq**, t. V, p. 542.
[4] Can. 29, ap. **Mansi**, XIV, p. 558.

738. *Thesis IIa :* **Confessio secreta seu auricularis, quæ hodie sola prævalet, etiam ab initio in usu fuit.** Certum est.

Ad thesim probandam, *methodo ascendente* utemur, statuendo nempe rem jam a sæculo quinto esse omnino certam, et ab hoc sæculo ad tempora apostolica regrediendo.

739. 1° *Sæculo quinto*, privatam confessionem in usu fuisse certissime constat e testimonio *S. Leonis Magni*.

Audiens siquidem Pontifex nonnullos sacerdotes publice legisse peccata pænitentium libellis scripta, hanc praxim condemnat tanquam illicitam usurpationem, *apostolicæ regulæ* contrariam; "cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicare *confessione secretâ*". Quamvis enim pænitentibus liceat publice peccata quædam confiteri, humilitatis causâ, id tamen minime præscribitur, ne ita quidam a confessione arceantur : "Sufficit enim illa confessio quæ primum Deo offertur; tunc etiam sacerdoti qui pro delictis pænitentium precator accedit. Tunc enim plures ad pænitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis"[1]. Ex quo sequitur jam tempore S. Leonis duplicem fuisse confessionem sacramentalem, publicam, quæ quandoque fidelibus permittebatur, et privatam, seu auricularem, quæ peccatoribus præcipiebatur.

740. 2° *Quarto sæculo*, vigebat etiam *secreta* confessio, etsi quandoque indirecte panderentur occulta peccata susceptione *publicæ pænitentiæ*.

(A) Confessionem esse *secretam* testantur, inter alios, *S. Aphraates*, (supra, n. 729), qui, sacerdotes alloquens, eis præcipit ne aliis manifestent peccata in confessione revelata : "Cùmque ipsam (infirmitatem spiritualem) vobis revelaverit, nolite eam publicare, ne propter illum ab inimicis et ab iis qui nos oderunt, innocentes in culpâ esse judicentur"[2]. — *S. Ambrosius* ipse secreto confessiones audiebat; hæc enim de eo scribit *Paulinus* diaconus, in hujus sancti Vitâ[3] : "Erat etiam gaudens cum gaudentibus et flens cum flentibus; siquidem quotiescumque illi aliquis, ob percipiendam pænitentiam, *lapsus suos confessus esset*, ita flebat ut et flere illum compelleret... Causas autem criminum quas illi confitebantur, *nulli* nisi Domino soli, apud quem intercedebat, *loquebatur*".

Idem confirmatur institutione *pænitentiariorum* seu sacerdotum, quorum munus speciale erat *privatas* confessiones audire.

[1] *Epist.* 168 ad episcopos Campaniæ, *P. L.*, LIV, 1211.
[2] *Demonstratio* VII, n. 3-4 (*Patrol. syriaca*, curante *Graffin*, t. I, p. 318-319)
[3] *P. L.*, XIV, 40.

(B) Attamen, etsi confessio *in se* occulta esset, aliquando peccator, suscipiendo publicam pænitentiam, eo ipso *indirecte coram christianâ communitate* confitebatur se gravium delictorum reum esse [1]. Pariter canonicarum pœnarum impositio, v. g. clerici depositio, indirecte pariter manifestabat etiam occulta delicta. Tunc enim forum internum non penitus a foro externo distinguebatur : Christiani, se invicem considerantes tamquam membra ejusdem corporis, minus invite sua peccata manifestabant, ut, fratrum precibus et satisfactionibus adjuti, facilius Dei misericordiam consequerentur.

741. 3° *Sæculo tertio*, idem constat variis testimoniis.

Ita *Origenes* de confessione *privatâ*, quæ publicam præcedit pænitentiam, scribit [2] : "Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere... Si intellexerit et præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat et curari, ex quo fortassis et ceteri ædificari poterunt et tu ipse facile sanari, multâ hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est"; ex quo patet jam tempore Origenis distinctionem fuisse inter *publicam* et *privatam* confessionem, et utramque fuisse in usu.

Pariter *S. Cyprianus* supponit secretam esse confessionem, dum loquitur de iis qui " quamvis, nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel *cogitaverunt*, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesim conscientiæ faciunt " [3].

4° Quoad sæculum *secundum*, non invenimus quidem explicitum testimonium, cùm textus S. Irenæi supra allegatus, n. 726, æque intelligi possit de publicâ aut secretâ confessione. Sed, cùm jam tertio sæculo, privata confessio in usu esset apud Græcos et Latinos,

[1] Aliquando etiam indirecte prodebatur peccatum complicis, prout evenit tempore Nectarii (391) in ecclesiâ Constantinopolitanâ, ubi, occasione confessionis cujusdam mulieris, notum est grave delictum alicujus diaconi qui cum eâ peccaverat. Ad tales abusus præcavendos, Nectarius abolevit officium pænitentiarii, immo, juxta quosdam, ipsam obligationem peccata confitendi ante communionem. Quidquid est, hæc aboletio diuturna non fuit; nam successor Nectarii, S. Joannes Chrysostomus, peccatores hortabatur ad confitenda peccata et ad privatam pro eisdem pænitentiam. Cf. **Batiffol**, *op. cit.*, p. 149 sq.; **P. Galtier**, *S. Jean Chrysostome et la confession*, in *Recherches de Sc. Relig.*, 1910, pp. 209, 313.

[2] *Homil.* II in Ps. 37, n. 6, *P. G.*, XII, 1386.

[3] *De lapsis*, 28, *P. L.*, IV, 488; Journel, n. 553.

nec ullum hâc de re inveniatur alicujus mutationis vestigium, merito infertur eam usque ad apostolica tempora ascendere, prout reapse docet S. Leo, n. 739.

742. *Conclusio.* (a) Privata igitur confessio semper in usu fuit, etsi non absolute secreta, cùm peccata aliquo modo indirecte manifestarentur publicæ pænitentiæ impositione. Quâ manifestatione fovebatur christiana humilitas et solidaritas, dum videlicet omnes fideles precibus et operibus pænitentes juvarent. Attamen non pauca erant *incommoda :* quidam verecundiâ a confessione deterrebantur, alii indiscretâ confessione scandala excitabant.

(b) Ad quos abusus tollendos, Ecclesia paulatim publicam confessionem posteaque publicam pænitentiam abolevit; ita tutius servata sunt jura cujuslibet christiani, et gradatim fideles frequentius ad sacrum tribunal accesserunt.

743. **Totum contrahitur argumentum.** Primum quidem Protestantes asserebant Innocentium III confessionis inventorem fuisse, ejusque necessitatem promulgâsse in *C. Lateranensi* (1215). Historice autem probatum est integros tractatus de sacramentali confessione multo ante Innocentium editos esse, non pauca Concilia de ejus utilitate aut necessitate statuta condidisse, in libris pænitentialibus, Græcis et Latinis, totum ordinem confessionis descriptum fuisse, cum catalogo peccatorum etiam occultorum, et pœnarum eisdem inflictarum. Quâ in re devicti, nonnulli contendebant auricularem confessionem a *Leone Magno* († 461) in Ecclesiam invectam fuisse; sed non minus luculenter ostensum est, ex Patribus tum Latinis tum Græcis, et ex ipsâ institutione pænitentiariorum, secretam seu auricularem confessionem in usu fuisse sæculis anterioribus, quarto nempe et tertio. Cùm autem sæculo secundo jam de confessione sermo sit, nil prohibet quin admittamus hanc aliquando fuisse occultam. Ceteroquin ipsa publica confessio, tunc certo vigens, erat vere sacramentalis, cum ordinaretur ad veniam peccatorum obtinendam, mediante pænitentiâ a sacerdotibus impositâ. Ita, a testimoniis evidentioribus ad obscuriora procedentes, historice demonstratur confessionem sacramentalem ab initio in Ecclesiâ fuisse adhibitam, eamque a Christo promanare,

quippe quæ indivulse connectatur cum potestate clavium quam Dominus Apostolis tradidit.

CONFESSIONIS UTILITAS RATIONE OSTENDITUR[1].

744. Positâ divinâ confessionis institutione, ejus convenientia ostendi potest :

1° *Ex parte Dei*, cui congrua satisfactio sic exhibetur. Peccatum siquidem includit actum *superbiæ* et *inobedientiæ;* atqui meliori nequit reparari modo quam per peccatorum sinceram confessionem, quâ peccator Deo ejusque ministris *se subdit*, et delicta sua recogitans in amaritudine animæ suæ, superbiam edomat; ita offensam Deo irrogatam in quantum fieri potest compensat : siquidem " cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies ".

2° *Ex parte hominis.* (a) Confessio *pacem* et *securitatem* pænitenti præbet, et quidem eo majorem quo humilius confessionem peregit et contritionem concepit. Peccator enim, etiam quando dolorem de peccatis concipere nititur et pro eis satisfacere, nescit tamen utrum amore an odio dignus sit, nam *nemo judex in propriâ causâ;* si vero omnia gravia peccata Dei ministro humili confessione pandit, hic de eis judicare potest, necnon de dispositionibus pænitentis et de æquitate satisfactionis jam præstitæ vel præstandæ, posteaque *absolutionem* impertiri, quæ divinæ condonationis pignus est authenticum. (b) Pariter confessio *a peccatis deterret;* nam qui conscientiam suam frequenter discutit ut omnia peccata a se commissa confiteatur, occasiones peccandi videt et fugit, media ad tentationes superandas discit; prætcrea obligatione omnia, etiam secretissima, aperiendi vigilantior efficitur, ad peccata futura præcavenda. (c) Confessio etiam *virtutum praxim* maxime promovet : cùm enim debiles et inconstantes simus, amico, duce et adjutore indigemus in vitâ spirituali[2]. Atqui in confes-

[1] **P. Félix**, *De la confession : pourquoi on se confesse et pourquoi on ne se confesse pas?* Paris, 1892; **Bougaud**, *Le Christianisme et les temps présents*, 6e éd., 1902, t. V, ch. 6, p. 145-182.

[2] " Fluctuamus inter varia consilia, inquit **Seneca** (*Ep.* 52); nihil libere volumus, nihil absolute, nihil semper. Nemo per se satis valet ut emergat; oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat... Non duce tantum opus est, sed adjutore et, ut ita dicam, coactore ".

sione sacramentali invenimus *amicum* fidelissimum, cui, sub secreti inviolabili sigillo, delicta, infirmitates et vulnera cordis aperire possumus; *ducem* spiritualem qui vias Domini nos edocebit, ostendendo quid vitare, quid agere debeamus non generali modo, ut fit in prædicatione, sed speciali, nostris infirmitatibus accommodato, juxta illud : " Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur *tibi* quid *te* oporteat facere "[1]; *adjutorem*, qui zelo Dei flagrans, nos veluti coget ad vitia expellenda virtutesque colendas.

Hinc *Leibnitzius*[2] ait : " Totum autem hoc institutum divinâ sapientiâ dignum esse negari non potest, et si quid aliud, hoc certe in christianâ religione præclarum et laudabile est quod et Sinenses ac Japonenses sunt admirati; nam et a peccatis multos deterret confitendi necessitas, eos maxime qui nondum obdurati sunt, et lapsis magnam consolationem præstat, ut adeo putem pium, gravem et prudentem confessarium magnum Dei organum esse ad animarum salutem; prodest enim consilium ejus ad regendos affectus, ad animadvertenda vitia, ad vitandas peccatorum occasiones, ad restituendum ablatum... ad dubia eximenda, ad erigendam mentem afflictam, ad omnia denique mala aut tollenda aut mitiganda; et cum fideli amico vix quidquam in rebus humanis præstantius reperiatur, quanti est, cum ipsâ sacramenti divini inviolabili religione, ad fidem servandam opemque ferendam astringi "?

3° *Ex parte societatis.* Prudens enim confessarius legum humanarum simul ac divinarum observantiam urget, societatem domesticam, quæ societatis civilis est fundamentum, recte ordinat, lites et dissidia componit, inimicos reconciliat, bonorum ablatorum restitutionem procurat, scandala prævenit vel reparat; immo confessio hanc æqualitatem, de quâ nostra ætas gloriatur, maxime promovet, cùm lex confitendi omnes afficiat, reges seu præsides æque ac subditos, nobiles ac divites æque ac pauperes, nec in sacro tribunali ullum fiat discrimen inter diversæ conditionis pænitentes[3].

745. *Objiciunt* quidem adversarii confessionem sacramentalem ansam præbere multis abusibus et sæpe pænitentibus æque ac ministris perniciosam esse. — *Resp.* Aliquando, abusus in hanc

---

[1] *Act.*, IX, 7. — [2] *Systema theol.*, Parisiis, 1819, p. 270.

[3] Hanc socialem confessionis utilitatem agnoverunt Increduli et Protestantes : v. g., Voltaire, *Diction. philos.*, art. Catéch. du Curé; protestans auctor operis *Letters of Atticus*, let. 5 th.

praxim *per accidens* irrepere concedimus, sed raro; nam Ecclesia, tum gravibus pœnis plectendo sollicitantes ad turpia, tum excommunicando absolventes complicem in peccato turpi, cogendoque, sub excommunicationis pœnâ, eos qui ad malum sollicitati fuerint ut confessarium denuntient, ne tales abusus multiplicarentur sapienter providit. Pauca vero incommoda, quæ aliquando ex hominum fragilitate vel perversitate oriuntur, ratio sufficiens esse nequeunt cur deleatur institutio, quæ aliunde tum privatis hominibus tum societati ipsi tot et tanta confert beneficia; si enim res quibus homines abutuntur, statim tollendæ essent, quid tandem in societate civili vel ecclesiasticâ remaneret?

Art. II. De Contritione.

746. **Doctrina Tridentina**. Ad remissionem peccatorum consequendam per potestatem clavium, non sufficit confessio, sed requiritur *contritio*, ut recte docet *Tridentinum* [1]; ad quod declarandum, duo hic exponuntur : 1° *natura* et *necessitas* contritionis; 2° ejus *efficacia* ad remittenda peccata cum aut sine reali susceptione sacramenti Pænitentiæ.

§ I. Natura et necessitas contritionis [2].

747. 1° **Contritionis notio.** (A) Contritio, a voce *conterere*, *etymologice* actionem designat quâ solidum corpus ad minimas partes reducitur; *metaphorice* autem illam dispositionem quâ cor peccato induratum frangitur et emollescit.

(B) Quoad *rem*, contritio a *Tridentino* definitur [3] : " *animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero* ".

Dicitur : (a) *animi dolor*, seu afflictio, tristitia, intus animum angens et crucians; cùm enim peccatum sit summum malum morale, divinæ Bonitati contrarium, peccator sincere ad Deum revertens, de delictis a se commissis non potest non tristari; (b) *detestatio*, id est, odium peccati, procedens ex cognitione ejus malitiæ malorumque effectuum,

---

[1] *Trident.*, sess. XIV, cap. 4.
[2] S. Thom., *Supplem.*, q. I, a. 1; **Suarez**, disp. IV; **Salmantic.**, disp. VII; **Bellarminus**, l. II, c. 4; **Drouin**, q. IV, c. 1; **Billuart**, diss. IV, a. 1; **de Augustinis**, p. I, a. 4; **Palmieri**, th. 30; **Billot**, th. 12; **L. de San**, n. 473 sq.
[3] Sess. XIV, cap. 4.

conjunctum cum retractatione pravæ voluntatis, ita ut peccator sincere dicat : si res non esset peracta, non facerem; vellem non peccâsse; (**c**) *cum proposito non peccandi de cetero :* nemo enim vere peccata commissa detestatur quin eo ipso velit hæc peccata in futurum vitare.

748. 2° *Thesis :* **Vera contritio, qualis modo definita est, necessaria est ad peccatorum veniam consequendam, sive intra, sive extra sacramentum.** Certum est :

(**A**) *Scripturâ.* (**a**) Id constat ex textibus supra allatis (n. 658), qui respiciunt tempora ante Christum elapsa. Pænitentia enim, quæ ibi requiritur, est conversio ad Deum, aversio a viâ iniquitatis, immutatio cordis et vitæ, cor contritum et humiliatum. Quæ quidem omnia important animi dolorem ac detestationem de peccato cum proposito emendationis.

(**b**) Etiam post Christi adventum et institutionem sacramentorum, contritio manet necessaria; nam quando Judæi aut Gentiles ad christianam fidem convertuntur, prima dispositio ab eis requisita post fidem, est pænitentia seu contritio : "Pænitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum... Pænitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra..." [1].

(**B**) *Traditione.* Tota *pænitentialis disciplina* eo fine instituta fuerat ut, frequenti recogitatione peccatorum et laboriosâ eorum expiatione, necnon Ecclesiæ precibus, in pænitentibus animi dolor ac detestatio peccati necnon vitæ emendandæ desiderium vivide excitarentur.

Dicit enim *S. Justinus* [2] : "Quomodo impuri..., *nisi lamententur et plangant,* spem habere possint non imputaturum eis Dominum peccatum". Pariter *S. Cyprianus* veniam pænitentibus promittit, " actâ pænitentiâ et professâ frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac *vere pænitentis animi signa prodiderint* " [3].

---

[1] *Act.*, II, 38; III, 19; cfr. VIII, 22; XI, 18.
[2] *Dial. cum Tryph.*, n. 141, *P. G.*, VI, 798-799. Cf. **Journel**, 146.
[3] *Ep.* XXXI, *P. L.*, IV, 315. Cfr. **S. Ambrosius**, *De Pænitent.*, l. II, c. 10, *P. L.*, XVI, 519.

S. Chrysostomus integrum de *Compunctione* edidit tractatum, ubi, inter alia, hæc habet : " Quid enim, dic mihi, corporis viribus opus est, quando cor conterere debemus, cum vigiles precari oportet, cum peccata recogitare, arrogantiam et tumorem deponere, mentem deprimere? Hæc quippe sunt quæ Deum nobis placant, nec multo egent labore ". Postea necessitatem hujus pænitentiæ declarat; hæc enim possibilis, immo et facilis evasit, si cogitamus, inquit, peccatores impænitentes ad gehennam damnari; " si gehennam semper præ oculis habeamus, necnon angelos ubique locorum tunc discurrentes, atque ex universo orbe congregantes eos qui in gehennam abducendi sunt; si cogitemus etiam quantum malum, gehennâ sepositâ, excludi a regno cælorum " [1].

Duo igitur docent Patres, nempe contritionem sitam esse in *peccati retractatione* vitæque emendatione; et hanc esse ad salutem *necessariam*.

§ II. Efficacia contritionis cum vel sine absolutione ad remittenda peccata.

749. **Prænotanda.** 1° *Historicus conspectus.* Ex dictis constat christianum, culpæ mortalis reum, non posse justificari nisi contritionem habeat et se potestati clavium subjiciat. Sed, jam a sæc. V°, quæstio agitata est, quænam sint partes *contritionis* et *absolutionis* in remissione peccatorum.

S. Augustinus [2] asserit contritionis simul et absolutionis efficaciam, sed utriusque partes parum explicat. Hanc autem explicationem *Scholastici* paulatim tradunt.

(a) *Hugo a S. Victore* [3] dixit, et quidem bene, contritione non remitti peccata nisi votum accedat absolutionem suscipiendi; adjecit verò absolutione concedi pœnæ æternæ remissionem : in quo supponit minus recte peccatum posse remitti quin remittatur pœna æterna.

(b) *Petrus Lombardus* [4] docuit quidem contritione perfectâ remitti tum peccatum, tum peccati pœnam, sed perperam adjecit

[1] *De compunct.*, l. I, n. 10, *P. G.*, XLVII, 410.
[2] *Sermo* 67, *P. L.*, XXXVIII, 434.
[3] *De Sacramentis*, l. II, p. XIV, c. 8, *P. L.*, CLXXVI, 564-570.
[4] *Lib. IV Sent.*, dist. XVIII, *P. L.*, CXCII, 885-889.

absolutione *authentice ostendi* peccata dimissa esse, ita quasi præludens errori Protestantium.

(c) *S. Thomas* distinctius exponit discrimen inter contritionem caritate perfectam et attritionem, atque hanc sufficere ad remissionem peccatorum asserit, accedente tamen sacerdotis absolutione [1]. Addit tamen (quod hodie rejicitur) attritionem non sufficere *ex se*, sed ratione *bonæ fidei*. Ceteroquin docet absolutione augeri gratiam, si hæc jam habetur.

(d) *Scotus* feliciùs docuit attritionem, quæ ex metu inferni concipitur, sufficere ad remissionem peccati, accedente absolutione, dummodo pænitens actu peccato non adhæreat [2].

750. 2° *Doctrina hodie communiter recepta*. Duplex distinguitur contritio : (a) *perfecta* quæ perficitur caritate *proprie dictâ* seu *theologicâ*, et quidem sive extrinsece quatenus eam concomitatur actus caritatis formaliter conceptus, sive intrinsece quatenus ex motivo ipso caritatis concipitur; (b) *imperfecta* quæ nominatur attritio et concipitur ex motivo supernaturali minus perfecto, v. g., ex turpitudine peccati vel pœnarum metu.

Pauca igitur de caritate, seu de amore Dei, prænotanda sunt : nam caritati perfectæ respondet contritio perfecta, et caritati imperfectæ vel timori respondet contritio imperfecta.

(A) Duplex amor Dei distingui potest : (a) amor *imperfectus* seu *mercenarius*, quem theologi amorem *spei* seu *concupiscentiæ* vocant, quo videlicet Deus amatur super omnia concupiscibilia non propter se, sed *propter bona* quæ largitur, non quia bonus est in se, sed quia *bonus est nobis*, immo summum bonum, cujus fruitione beati aliquando erimus; (b) amor *perfectus* seu *gratuitus*, quo Deus diligitur *propter se* et super omnia; id est, sive amor *benevolentiæ*, quo Deum diligimus ut infinite perfectum, ejus perfectionibus congaudemus, eique bonum optamus, desiderando videlicet eum ab omnibus cognosci et amari; sive amor *amicitiæ*, qui, præter benevolentiam, importat *mutuum amorem*, seu redamationem, inquantum scilicet qui diligit, diligitur a Deo; amore amicitiæ diligimus Deum *propter se*, scientes tamen Deum diligere diligentes se; hinc mutua redamatio non est motivum amicitiæ, sed solum una ex ejus conditionibus.

(B) Jamvero, quoniam ad eamdem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum et fugere aliud, ad caritatem pertinet diligere

[1] *In IV Sent.*, dist. 22, q. 2, a. 1; cf. *Supplementum*, q. 10, a. 1; q. 18, a. 1
[2] *In IV Sent.*. dist. 14, q. 4, n. 7.

Deum et detestari peccatum, quatenus Deo oppositum : tot sunt igitur contritionis species quot sunt amoris species. Quibus positis, certum est contritionem quæ ex *amore perfecto* concipitur, sive *benevolentiæ*, dummodo sit supernaturalis ac super omnia, sive *amicitiæ*, quâ de peccato dolemus, quatenus est *offensa Dei Summi Boni* et super omnia dilecti, esse perfectam, statimque peccata remittere.

Ceteroquin ad justificationem non requiritur actus contritionis *intensus*, seu vehemens, quidquid in contrarium dixerunt quidam antiqui theologi; dummodo enim contritio sit *appretiative summa*, id est, peccatum quis doleat ut summum malum, ad remissionem peccatorum sufficit, licet non sit valde *intensa* : "quantumcumque parvus sit dolor, ait *S. Thomas*[1], dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet".

Quibus prænotatis, tria probabimus : 1° *contritionem perfectam* absque reali susceptione sacramenti peccatorem justificare; 2° *attritionem* sufficere *cum absolutione* ad justificationem; 3° *attritionem* proinde esse *vere utilem* non autem damnandam hypocrisim.

751. *Thesis Iª* : **Contritio perfecta peccata gravia remittit, absque sacramenti Pænitentiæ reali susceptione, non tamen sine ejus voto.** *Certum est.*

(A) *Tridentinum* ait[2] : "Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate *perfectam* esse contingat, *hominemque Deo reconciliare*..., ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, *sine sacramenti voto* quod in illâ includitur, non esse ascribendam".

(B) *Script.* (a) In *Vet. Test.* legimus : "Ego (scilicet Deus) diligentes me diligo"[3]; id est, diligit Deus diligentes se, et consequenter perfecte contritos, qui ex dictis, Deum diligunt amore caritatis; quos autem diligit Deus, gratiâ sanctificante ornat et a peccatis liberat. Et sane, sub veteri Lege adulti delictorum remissionem obtinere poterant sine sacramento Pænitentiæ. Atqui si id obtinere poterant, certe per actum nobilissimum, qualis est pænitentia caritate perfecta.

[1] *Supplem.*, q. 5, a. 3. Cfr. **F. Rouvier**, *A la conquête du Ciel*, Charité parfaite et contrition, Desclée, 1913.

[2] Sess. XIV, cap. 4, **Denz.-Bann.**, 898 (778).

[3] *Prov.*, VIII, 17.

(**b**) Nec res aliter se habet in *N. Lege*, post institutum Pænitentiæ sacramentum; Christus enim, sine ullâ restrictione, discipulis dixit : " Si quis diligit me, sermonem meum servabit : et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus "[1]; ex quo clare colligitur eum qui diligit Christum seu est perfecte contritus, statim frui divinâ inhabitatione, quæ sine gratiâ habituali non habetur. — Idem probant verba *S. Joannis :* " Deus caritas est; et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo "[2]. Confirmatur verbis Christi ad mulierem peccatricem[3] : " Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum ".

(**C**) *Ratione convenientiæ :* contritio enim dispositio est perfectissima quæ a peccatoribus haberi possit, et cùm amorem Dei importet, ad divinam amicitiam optime eos disponit.

752. **Explicatur thesis.** Diximus : *non sine sacramenti voto,* quia, cùm sacramentalis confessio sit in N. Lege necessaria, peccator non potest vere esse contritus, quin velit sincere delicta sua clavium potestati tempore opportuno subjicere. Sufficit tamen votum *implicitum*, quale invenitur in voluntate omnia adimplendi quæ ad salutem necessaria sunt.

Absolutio autem sacerdotis, in hoc casu, nedum sit inutilis : (**a**) producit gratiam ex opere operato quâ justitia peccatoris jam justificati augetur; (**b**) securitatis et pacis dat incrementum; (**c**) pœnam temporalem peccato remisso debitam magis ac magis minuit; (**d**) contra relapsum in peccata voluntatem roborat.

753. **Disputatur :** (**A**) utrum necesse sit contritionem procedere ex motivo infinitæ bonitatis, *quatenus est aggregatio omnium perfectionum*, an sufficiat ut eliciatur ex motivo *cujuscumque attributi divini* offensi, puta misericordiæ, sapientiæ. Judicio nostro, quæstio est magis speculativa quam practica; nam ex se omnia divina attributa cum ejus infinitâ bonitate connectuntur, et aliunde qui peccata detestantur utpote unum ex divinis attributis lædens, alia attributa non excludit, proindeque contritionem vere perfectam habet.

---

[1] *Joan.*, XIV, 23; cf. *Joan.*, XIV, 21. — [2] *I Joan.*, IV, 16. — [3] *Luc.*, VII, 47.

(B) Num alia motiva, præter caritatem, sufficiant ad contritionem perfectam immediate peccati remissivam. *Scotistæ* dicunt motivum contritionis perfectæ esse omne motivum quod spectat ad Deum, v. g., quod desumitur ex virtutibus pænitentiæ, religionis aut obedientiæ : his enim virtutibus peccatum detestamur tanquam offensam Dei, ejus juribus et voluntati oppositam. Cui opinioni accedunt nonnulli hodierni auctores, *Hurter*, *Palmieri*, *Egger*, juxta quos amor *spei* et *gratitudinis* ad perfectam contritionem sufficere potest [1]. Revera hic amor : (a) ut nobilissimus a sacrâ Scripturâ commendatur; (b) est valde perfectus, et in gloriam Dei maxime cedit. Censemus hanc opinionem esse misericordiæ divinæ valde consentaneam; eâque admissâ, multo melius intelligi quomodo Judæi justificari potuerint absque sacramento, pariter quomodo Acatholici, qui in bonâ fide versantur, veniam peccatorum suorum obtinere valeant. — Hæc tamen opinio non est communis [2], et in praxi conandum est ex amore spei et gratitudinis ad amorem caritatis ascendere. Quod aliunde non tam difficile est; nam contritio caritate perfecta consistere potest cum dolore de peccatis ob alia motiva minus perfecta concepto, videlicet spem, gratitudinem, metum pœnarum; immo communiter anima quasi pedetentim ex inferioribus ad superiora ascendit motiva.

754. *Thesis IIa* : **Ad remissionem peccatorum consequendam vi sacramenti Pænitentiæ non requiritur contritio perfecta, sed sufficit attritio.** Certum est contra quosdam antiquiores theologos (supra, n. 749.)

1° **Declaratur.** Contritio imperfecta *attritio* dicitur; nam, ut ait *S. Thomas* [3], in corporalibus attrita dicuntur quæ aliquo modo confracta sunt, sed non adhuc perfecte comminuta, ideoque attritio, in spiritualibus, significat quamdam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam. — Definiri potest *dolor et detestatio peccati procedens ex motivo supernaturali ad perfectam contritionem non sufficiente.*

Juxta *Tridentinum* [4], attritio supernaturalis ex duplici præsertim motivo concipi potest, "vel ex *turpidinis peccati consideratione*, *vel ex gehennæ et pœnarum metu*"; gehennæ autem metus involvit metum amittendi æternam beatitudinem, ut alibi [5] docet idem Concilium. Consideratio motivi supernaturalis esse debet, innixa videlicet rationibus *fide* cognitis, v. g., ex eo quod peccatum mor-

[1] **Hurter**, n. 570; **Palmieri**, th. 22.
[2] Cfr. **Lugo**, disp. V, sect. I, n. 3; **Card. Billot**, II, th. 13.
[3] **S. Thom.**, *Supplementum*, q. 1, a. 1.
[4] Sess. XIV, cap. 4. — [5] Sess. XIV, can. 5.

tale sit injustitia contra Deum, aliquid viro christiano indignum inurens animæ maculam ex privatione gratiæ habitualis, etc. — Metus gehennæ vel pœnarum supernaturalium, est motivum minus quidem nobile, bonum tamen et utile. Duplex enim Dei timor distinguitur : timor *filialis*, seu *castus*, quo quis ex amore et reverentiâ Deum offendere timet; *servilis*, quo timetur Deus propter pœnas quas minatur. Hic autem est *simpliciter servilis*, si quis non solum ab opere malo abstinet, sed etiam affectum ad peccatum deponit; vel *serviliter servilis*, quando quis retinet peccandi affectum. Jamvero timor *filialis* melior est, timor autem *simpliciter servilis* bonus, sed *serviliter servilis* est malus.

755. 2° **Probatur.** (A) Constat : (a) *Tridentini* textu quo declaratur duplicem esse contritionem : *perfectam*, quæ peccatorem Deo reconciliat priusquam sacramentum actu suscipiatur; *imperfectam* seu attritionem, quæ " eúm ad Dei gratiam in sacramento pænitentiæ impetrandam disponit", et quidem *proxime*, ut apparet ex contextu : id enim postulat parallelismus inter contritionem, quæ certe est dispositio proxima, et attritionem [1]. (b) Alio textu in quo statuitur per sacramentum Pænitentiæ peccata *vere remitti*[2], et simul damnatione hujusce propositionis *Baianæ* : " Peccator pænitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo " [3]. Nam si contritio perfecta ad absolutionem prærequireretur, peccata non vere remitterentur per sacramentum Pænitentiæ, nec unquàm peccatores vivificarentur sacerdotis ministerio, cùm jam contritione justificati fuissent.

(B) Præterea, praxis, antiqua simul et universalis, *sollicite* absolvendi moribundos, vix explicatur quin admittatur attritionem non sufficere solam, sed sufficere cum absolutione. Si enim requiritur contritio perfecta, cur tam necessaria prædicatur absolutio sacerdotis? Omnes enim concedunt solâ contritione perfectâ, cum voto sacramenti, absque reali ejus susceptione, justificari peccatores. Si igitur moribundi contritionem habent, non indigent absolu-

---

[1] Concilium verbo *disponit*, non autem *sufficit*, usum est, ne damnaretur opinio jam antiquata Petri Lombardi; sed mens Concilii satis evidenter constat ex disputationibus inter Patres Tridentinos habitis. Cfr. Theiner, *Acta genuina*, t. I, p. 531-600.

[2] Sess. XIV, can. 3, Denz.-Bann., 913 (791).

[3] Denz.-Bann., 1058 (938).

tione; si solummodo sunt attriti, inutilis est absolutio. Admissâ vero thesi nostrâ, res facile explicatur : sola enim attritio, quæ non justificat sine sacramento, peccata remittit accedente sacerdotis absolutione : hæc igitur omnibus necessaria est qui solummodo sunt attriti.

756. 3° **Exponitur controversia de necessitate aliqualis amoris cum attritione.** Omnes quidem concedunt attritionem, necessariam ad peccatorum remissionem in sacramento pænitentiæ consequendam, conjungi debere cum *fide*, secus non esset supernaturalis; et cum *spe* veniæ, secus nullum esset propositum melioris vitæ. Sed quæstio est num attritio ex solo metu gehennæ concepta, sufficiat, *absque amore Dei*, ad justificationem consequendam in sacramento Pænitentiæ. Ratio dubitandi est quia *Tridentinum*, describens conditiones ad justificationem modo generali requisitas, aliquem amorem requirit[1] : " Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum, excitati divinâ gratiâ,... libere moventur in Deum..., in spem eriguntur..., Deumque tamquam omnis *justitiæ fontem diligere incipiunt*"... Omissis aliis opinionibus antiquatis, duo hodie adhuc exstant hâc de re systemata.

(A) Alii, post *Pallavicini* et *Bossuet*[2], tenent simul cum attritione requiri initialem amorem Dei propter se dilecti, non quidem amorem prædominantem, quo Deus propter se *super omnia* diligitur, sed *incipientem*, qualis habetur ab eo qui nititur contritionem ex caritatis motivo elicere, et revera Deum diligere incipit, non ita tamen ut propterea omne peccatum grave velit fugere; accedente autem metu vel spe, voluntas sincere gravia delicta detestatur, eaque vult fugere, ita ut hujusmodi detestatio partim ex amore, partim ex metu oriatur.

757. (B) Alii vero tenent non requiri alium amorem nisi amorem *spei* seu *concupiscentiæ;* sed, juxta quosdam, hic amor debet *explicite* elici[3]; secundum alios, sufficit ut *implicite* eliciatur[4] : jamvero semper implicite continetur in sincerâ attritione quæ voluntatem peccandi

---

[1] Sess. VI, cap. 6.

[2] Cf. **Pallavicini**, *de Pænitent.*, c. 12; **Bossuet**, *De doctrinâ C. Trid. circa dilectionem in sacr. Pænitentiæ requisitam.*

[3] Ita **Tournely**, *De sacram. pænit.*, q. V, a. 3; **Wirceburgenses**, *De sacram. pænit.*, disp. II, c. 3, art. 3-4.

[4] **Suarez**, disp. XX, sect. 2; **Lugo**, disp. V, n. 133; **S. Alphons.**, l. VI, n. 442; **Palmieri**, th. 32, Coroll.; **Tepe**, n. 557; **Kenrick**, tr. XVII, n. 23.

excludit. Non potest enim quis vere detestari peccatum, cum spe veniæ et desiderio gratiæ, quin eo ipso incipiat aliquo modo amare Deum ut sibi bonum.

Sic autem arguunt : si species quædam amoris nobilioris requiri probaretur, constaret vel *ratione*, vel *auctoritate*. Atqui (a) *non ratione;* nam amor se habet relative ad justificationem ut medium ad finem; ideoque modo sit medium aptum ad finem obtinendum, sufficit. Porro quilibet amor in attritione appretiative summâ inclusus, est medium aptum ad finem obtinendum, scilicet sacramentum cum fructu recipiendum; ope enim hujusmodi amoris, attritio voluntatem peccandi excludit, includitque spem veniæ, et fit dispositio proxima ad justificationem in sacramento recipiendam. Ergo non probatur ratione amorem nobiliorem requiri præter amorem in attritione appretiative summâ inclusum. (b) Nec *auctoritate;* textus enim *Tridentinus* supra citatus " Deus tanquam omnis *justitiæ fontem* diligere incipiunt ", de amore *spei* intelligi potest, nam Deus amatus ut justificationis nostræ auctor, est Deus prout est *bonus nobis*. Aliunde omnes actus hic descripti a *Tridentino* non sunt absolute necessarii ad justificationem cum sacramento : quidam necessarii sunt sive intra sive extra sacramentum, alii solum extra sacramentum, ut jam notaverat *Suarez :* ibi enim Concilium disserit de dispositionibus ad justificationem *in genere;* at ubi agit in specie de sacramento Pænitentiæ, declarat attritionem ex metu gehennæ, quæ sine sacramento non sufficit, peccatorem ad gratiam in sacramento obtinendam disponere. — Hanc igitur *Suarezii* opinionem ut multo probabiliorem amplectimur.

Conclusio. Exortis autem acerbis dissensionibus inter *contritionistas* et *attritionistas*, *Alexander VII*, enixe cupiens vinculum pacis inter fideles servare, die 5 maii 1667, sub pœnâ excommunicationis [1] præcepit ut : " Si deinceps de materiâ attritionis præfatæ scribant... non audeant alicujus theologicæ censuræ alteriusve injuriæ aut contumeliæ notâ taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfatâ attritione ex metu gehennæ conceptâ, quæ hodie inter scholasticos *communior* videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hâc S. Sede fuerit aliquid hâc in re definitum ". Jamvero nihil adhuc definitum est, et unusquisque in suam sententiam abire potest. Attamen sententia quæ nil requirit præter ipsam attritionem, communis evasit, et *moraliter* certa.

In praxi ergo nulla adest difficultas; statim ac constat pænitentem vere esse attritum, et peccata super omnia detestari, hic absolvi potest : nam, teste Scripturâ, " timor

[1] Quæ tamen non viget amplius, utpote non renovata in Bullâ *Apostolicæ Sedis*.

Dei initium dilectionis ejus"[1]; et qui veniam a Deo sperat, jam eum diligit tanquam justitiæ fontem. Expedit tamen ut ipsi proponantur motiva contritionis perfectæ, tum quia perfectiora sunt, tum majoris securitatis gratiâ.

758. **Corollarium.** *Pœnitens, recipiendo sacramentum, fit ex attrito contritus*, non quidem eo sensu quod attritio fieri possit contritio, sed (**a**) quia attritio simul cum sacramento æquivalet contritioni quoad effectum productum, nempe peccati remissionem; (**b**) quia attritus absolutionem recipiendo, simul gratiam habitualem et virtutem caritatis accipit, quâ fit contritus in *habitu*, proxime potens actum contritionis perfectæ elicere.

759. *Thesis III^a* : **Attritio concepta ex fœditate peccati, amissione æternæ beatitudinis et æternæ damnationis incursu, est verus et utilis dolor ad gratiam præparans.** De fide est ex *Tridentino* contra Lutheranos : " Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem... A. S. "[2].

Prob. (**A**) *Script.* Attritio quæ concipitur ex timore bono, bona est et honesta. Sed timor servilis est bonus cùm in sacris litteris commendetur et præcipiatur : " Sanctum et terribile nomen ejus : initium sapientiæ timor Domini "[3]; " Timor Domini expellit peccatum : nam qui sine timore est, non poterit justificari "[4]; " Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et corpus et animam perdere in gehennam "[5].

(**B**) *Traditione.* Sæpe Patres timorem judicii et gehennæ proponunt tanquam motivum detestandi et fugiendi pecca-

[1] *Eccli.*, XXV, 16.
[2] Sess. XIV, can. 5., **Denz.-Bann.**, 915 (793). — [3] *Ps.* CX, 10.
[4] *Eccli.*, I, 27. Cf. *Matth.*, X, 28; *Luc.*, XII, 4. — [5] *Matth.*, X, 28.

tum. Ita *S. Chrysostomus*, qui etiam notat timorem esse bonum ex ipsis Christi sermonibus : "Nisi bonum esset timor, non multos impendisset Christus sermones et longos, de pœnâ et supplicio illic futuris loquens. Timor nihil aliud est quam murus et munimentum et turris inexpugnabilis"[1]. Nec minus eloquenter *S. Augustinus :* "Ergo pœnam times, castitatem nondum amas, caritatem nondum habes : serviliter times; formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem. Timor enim iste quo gehennam times, et ideo mala non facis, continet te; et sic volentem peccare animum interiorem non sinit"[2]. Et alibi addit : "Timor quasi locum præparat caritati... Si autem nullus est timor, non est quâ intret caritas"[3].

760. (C) *Rat. theol.* (a) Attritio ex metu gehennæ tria importat : voluntatem *fugiendi pœnam*, quæ per modum *finis* se habet; *peccati detestationem*, quæ est *medium* ad finem; *ordinationem* hujus medii ad finem obtinendum. Atqui hæc tria sunt bona et utilia : 1) honestum est inferni pœnas fugere, cùm sint aliquid malum et odio dignum; 2) peccati detestationem bonam esse pariter nemo est qui neget; 3) ordinare autem fugam peccati ad vitationem pœnæ, tanquam ad finem, non est malum, cùm vitatio pœnæ æternæ sit consecutio ipsius Dei finis ultimi; aliunde peccator, qui peccatum fugit propter pœnam vitandam, non excludit altius motivum, sed tantum ab eo *abstrahit.* (b) Quin immo hæc in se imperfecta dispositio sponte suâ ad perfectiorem tendit, eamque virtualiter continet. Nam qui ex gehennæ metu efficaci odit peccatum, hoc detestatur tanquam gehennæ causam, et proinde est dispositus ad faciendum quidquid oportet ut, vitando peccatum, et infernum vitet. Porro ad hoc agendum requiritur ut sibi proponat firmiter servare omnia præcepta quorum primum et præcipuum est præceptum dilectionis Dei super omnia; ergo timore gehennæ inducitur ad Deum ipsum amandum.

[1] *Homil.* XV ad pop. Ant., n. 2, *P. G.*, XLIX, 156.
[2] S. August., *Sermo* CLXI, c. 8, *P. L.*, t. XXXVIII, p. 882.
[3] *In Epist. I Joan.*, tract. 9, c. 4, *P. L.*, t. XXXV, p. 2047.

Nec dicatur in hoc casu pænitentem magis pœnam quam culpam detestari; nam qui fugit peccatum quia causat infernum, detestatur peccatum magis quam gehennam, non in hoc sensu quod disponi debeat ad potius incurrendum damnationem quam ad peccandum, cùm fieri nequeat ut absque peccato damnetur; sed in hoc diverso sensu quod in praxi magis attentus esse debeat ad vitandum peccatum, cùm vitando peccatum vitet gehennam, et nullo modo gehenna timenda sit, si peccatum vitetur. — Res exemplo declaratur : filius prodigus, qui patrem dereliquerat, et substantiam suam dissipaverat vivendo luxuriose, fame, seu timore dolorum et mortis, ad pænitentiam ductus est, patremque denuo adivit; jamvero si timore *serviliter servili* egisset, affectum ad luxuriosam vitam servans, ejus quidem agendi ratio laude non fuisset digna; sed, quia timore perculsus vere etiam peccatum, tanquam miseriæ suæ causam, odio habuit, veniam obtinuit et in priora jura redintegratus est; ita peccator, qui ex metu gehennæ vere peccatum, ut gehennæ causam, detestatur, et, ut eam fugiat, sincere vult Deo servire, laudabiliter agit, et, accedente absolutione, peccatorum veniam consequitur.

Art. III. De Satisfactione[1].

761. Satisfactio (*satis, facere*), si etymon spectatur, est actus quo quis tantum facit quantum satis sit ad iratum placandum. Satisfactio autem, quatenus est pars sacramenti, definitur : *voluntaria toleratio pœnæ a confessario impositæ, ad compensandam injuriam Deo illatam, redimendamque pœnam temporalem, etiam post remissum peccatum ordinarie debitam.*

762. **Errores Protestantium et Jansenistarum.** (A) *Protestantes*, etsi pænitentialis disciplinæ severitatem in primis Ecclesiæ sæculis negare non possunt, eam tamen ut ecclesiasticam institutionem habent, ejusque *divinam institutionem* ac *necessitatem* negant : nam, inquiunt, peccatum a Deo condonari nequit quin simul pœnæ peccato debitæ plena sit remissio; præterea, si satisfactiones nostræ dicuntur necessariæ, eo ipso injuria irrogatur infinitæ satisfactioni Christi, quippe quæ insufficiens appareat. Radix hujus erroris est theoria de justificatione per solam fidem : si enim sola fides plene ad justificationem sufficit, inutilia evadunt opera satisfactoria.

[1] **S. Thom.**, *Suppl.*, q. 12 sq.; **Suarez**, disp. XXXVII-XXXVIII; **Bellarminus**, l. IV, c. 1 sq.; **Morinus**, l. III sq.; **Salmantic.**, disp. X-XI; **Drouin**, q. XI; **Billuart**, disp. IX; **de Augustinis**, th. 21; **Palmieri**, th. 36-40; **Hurter**, n. 612 sq.; **Egger**, n. 584 sq.

(B) Ex adverso autem *Jansenistæ*, rigorismo faventes, pænitentialem disciplinam priorum ætatum instaurare volebant, et contendebant pænitentes non esse absolvendos, nisi prius peractâ laboriosâ diuturnâque pænitentiâ ipsis injunctâ.

Contra hunc duplicem errorem duplex erit thesis, prior contra *Protestantes*, posterior contra *Jansenistas*.

763. *Thesis Ia* : **Pœna peccato debita non semper tota simul remittitur a Deo, sed, sublatâ per absolutionem sacerdotis culpâ, pœnâque æternâ, plerumque luenda manet pœna temporalis.** *De fide est contra Protestantes ex Trident.*[1] " Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpâ remitti semper a Deo, satisfactionemque pænitentium non esse aliam quam fidem, quâ apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, A. S. "

764. 1° *Script.* (A) Christus enim voluit potestatem clavium exerceri *per modum judicii* (supra, n. 668); atqui hæc potestas includit non solum facultatem peccata remittendi, sed etiam pœnas injungendi, juxta illud : " Quodcumque ligaveris ..."

Objiciunt quidem *Protestantes* peccatum non condonari nisi simul pœna remittatur. — Quod quidem Scripturæ contrarium esse tum *factis*, tum *dictis* luculenter demonstratur.

(a) *Factis*. Adamum pænituisse et in statum gratiæ restitutum fuisse *Sapientia* nos edocet[2]; atqui tamen pœnas temporales luendas habuit : "Quia audisti vocem uxoris tuæ... in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ tuæ... in sudore vultûs tui vesceris pane, donec revertaris in terram"[3]; Moyses et Aaron veniam peccati incredulitatis a Deo obtinuerunt, nec tamen, in pœnam peccati, terram promissam ingressi sunt : " Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : quia non credidistis mihi... non introducetis hos populos in terram quam dabo eis"[4]. David adulterii et homicidii veniam impetravit, quando dixit : Peccavi Domino; sed nihilominus pœnam temporalem gravissimam subire debuit : " Dominus quoque transtulit peccatum tuum; non morieris; verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur"[5]. Quæ quidem pœnæ non solum in emendationem, ut Protestantes volunt, sed etiam in *castigationem* peccati inflictæ sunt, ut ex contextu patet, et ex eo quod non solum adulti sed etiam infantes in pœnam peccati moriuntur.

---

[1] Sess. XIV, can. 12. — [2] *Sap.*, X, 1-2. — [3] *Gen.*, III, 17-19.
[4] *Num.*, XX, 12. — [5] *II Reg.*, XII, 13-14.

(b) Nec minus clare Deus *verbis* voluntatem suam manifestavit : "Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro, *in jejunio, et in fletu et in planctu*"[1]; "Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum"[2]; "Facite ergo fructus dignos pænitentiæ"[3]. Huc etiam pertinent textus alibi citati (*De Verbo Incarn.*, n. 1161) quibus demonstratur nos salvari non posse, nisi crucem nostram tollamus, cum Christo patiamur, et in carne nostrâ adimpleamus ea quæ desunt passionum Christi; ex his enim et similibus testimoniis colligitur Dominum non ita pro nobis satisfecisse, ut ab obligatione satisfaciendi liberemur, sed ut cum eo magis efficaciter peccata expiare valeamus.

765. 2° *Tradit.* Patres ore unanimi talis pænitentiæ necessitatem docuisse Protestantes ipsi fateri coacti sunt; ita *Chemnitius*[4] ait : "Nec vero nescius sum veteres aliquando nimis largiter et verbis nimium magnificis disciplinam canonicam commendare, ut quod *Tertullianus* dicit satisfactionibus illis peccata expiari, *Cyprianus* illis dicit peccata redimi, ablui, sanari et judicem placari; *Ambrosius*, pœnas gehennæ illis compensari; *Augustinus*, Deum illis de peccatis præteritis propitiari".

Quod sane constat ex disciplinâ pænitentiali quæ primis sæculis vigebat.

(A) Prioribus sæculis, pænitentia magis diuturna et laboriosa erat; per plures annos sæpe durabat, et aliquando per totam vitam.

(a) In ecclesiis *Asiæ Minoris*, sæculo tertio, tres distinguebantur pænitentium ordines : *audientes*, qui stabant in portâ ecclesiæ, seu in porticu; ibi audiebant lectionem scripturarum et sacras conciones, sed prohibebantur missæ adesse; — *substrati*, seu *genuflectentes*, qui missæ assistebant intra ecclesiæ ambitum, a portis usque ad ambonem, sed *prostrati :* eis episcopi et presbyteri manum imponebant; — *consistentes*, qui sacro aderant stantes cum fidelibus, sed a sacrâ communione arcebantur[5]. Quarto sæculo, his ordinibus additi sunt *flentes*, qui cilicio et cinere induti, stabant ad limen ecclesiæ, lacrymis et gemitibus orantes christianos ingredientes ut pro se precarentur.

(b) In *Occidente*, erant pariter varii ordines pænitentium, quorum tamen numerus non est cognitus. Pænitentialia exercitia, qualia

[1] *Joel*, II, 12. — [2] *Dan.*, IV, 24. — [3] *Luc.*, III, 8.
[4] *Exam. C. Trident.*, p. 4.
[5] Cfr. S. Gregor. Thaumat., *Ep. canonica*, *P. G.*, t. X, p. 1019-1048.

Romæ vigebant, a Sozomeno ita exponuntur[1] : "Illic enim in propatulo est pænitentium locus, in quo illi stant mœsti et veluti lugentes. Peractisque jam missarum sollemnibus, exclusi a communione sacrorum, quæ initiatis præberi mos est, cum gemitu ac lamentis pronos se in terrâ abjiciunt. Tum episcopus cum lacrymis ex adverso occurrens, pariter ipse humo provolvitur, et universa ecclesiæ multitudo simul confitens, lacrymis perfunditur... Privatim autem unusquisque suâ sponte se macerans, aut jejuniis aut illuvie, aut ciborum abstinentiâ vel aliis quibus jussus est modis, tempus quantumcumque ipsi ab episcopo est constitutum exspectat".

Ceteroquin pænitentia imposita valde laboriosa erat, ut constat ex iis quæ supra dicta sunt, n. 694.

766. (B) A sexto sæculo, pænitentia mitior et brevior evasit, simul ac frequentior.

Tunc editi sunt libri *pænitentiales* (supra, n. 735) in quibus determinabatur pœna cuique peccatorum generi infligenda. Pauca jam retulimus exempla; quædam alia hic subjicimus e *Pænitentiali Theodori*[2] : pro voluntario homicidio, septem annos peccator pæniteat; pro truncatione pedum aut manuum, unum annum; pro vulnere, 40 dies; pro voluntario perjurio, aliosque inducendo in perjurium, septem annos; pro maximo furto, tres annos; pro magno, unum annum, si fiat restitutio, et duos annos, si non restituatur; pro modico furto, viginti dies; pro adulterio, septem annos; pro simplici fornicatione, duos annos; pro detractione, 40 dies, etc. Paulatim tamen imminutæ sunt pœnæ impositæ, et confessio facta est frequentior ac fusior peccatorum declaratio.

767. 3° *Ratio convenientiam satisfactionis* ostendit. (a) *Ex parte Dei :* Deus enim qui per peccatum offenditur, est *legislator* et totius humanæ societatis *rector*. Atqui Deum, *legislatorem* et *rectorem* decet delicta non remittere absque pœnâ temporali : 1) ut in futurum leges a pænitente melius serventur, 2) ut alii a malo deterreantur et sic bonum societatis promoveatur, 3) ut jura non solum misericordiæ sed etiam justitiæ, quoad fieri potest, salventur.

(b) Ex *parte pænitentis*, nam, ut ait *Tridentinum*[3], "procul dubio magnopere a peccato revocant, et quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pænitentes efficiunt; medentur

[1] Sozom., *H. E.*, l. VII, cap. 16; *P. G.*, t. LXVII, p. 1459-62.
[2] Ap. Morinum, *op. cit.*, Appendix, p. 41.
[3] *Trident.*, sess. XIV, cap. 8.

quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt". Si vero peccata absque ullâ satisfactione dimitterentur, tanquam levia existimarentur, et facilitate ipsâ veniæ multi ad peccandum iterum provocarentur.

Nec dicatur per baptismum totam pœnam simul cum culpâ tolli : non enim par est conditio eorum qui per baptismum regenerantur et eorum qui per pænitentiam Deo reconciliantur; priores ante baptismum per ignorantiam deliquerunt, aut saltem non cum tantâ malitiâ; posteriores, qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, gratiam et dona Spiritûs acceperunt, scienter templum Dei violaverunt et Spiritum S. contristaverunt, nec proinde eâdem facilitate veniam accipere merentur, ut arguit *Tridentinum*[1].

768. **Corollaria.** (A) *Omnia solaque opera bona et pœnalia possunt esse satisfactoria.* Etenim, ut aliquod opus sit vere satisfactorium, necesse est ut præteritam offensam reparet et a culpis futuris præservet. Atqui ita est de bonis operibus pœnalibus, et quidem solis; nam : (a) compensant offensam Deo irrogatam; siquidem, peccator, quantum in se est, aliquid Deo subtrahit, ejus majestatem offendendo; unde oportet, ad reparandam hujusmodi injuriam, aliquid subtrahi a peccante in honorem Dei; et ideo oportet ut opus satisfactorium sit *bonum*, ut in honorem Dei sit, et *pœnale*, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur; (b) similiter etiam opus pœnale a culpâ futurâ præservat, quia non facile homo ad peccata redit ex quibus pœnam expertus est.

Addi tamen potest vix esse, in præsenti statu naturæ lapsæ, aliquod opus supernaturaliter bonum quod non sit simul arduum et pœnale; cùm enim sponte ad creaturas tendamus et ad illicita, quoties propter Deum supernaturaliter agimus, opus difficile proindeque pœnale efficimus.

769. (B) *Præcipua autem opera satisfactoria sunt eleemosyna, jejunium et oratio.* Etenim : (a) satisfactio debet esse talis per quam aliquid a nobis subtrahamus ad honorem Dei; atqui non habemus nisi tria bona, nempe bona animæ, bona corporis et bona fortunæ; ex bonis quidem fortunæ subtrahimus aliquid per eleemosynam; ex bonis corporis per jejunium; ex bonis animæ per orationem, quâ facultates nostras Deo submittimus. (b) Præterea

[1] Hanc fuisse antiquorum Patrum mentem late ostendit **Morinus**, *op. cit.*, lib. III.

tres sunt peccatorum radices, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ[1]; atqui contra concupiscentiam carnis ordinatur jejunium; contra concupiscentiam oculorum ordinatur eleemosyna; contra superbiam vitæ, oratio[2].

His tamen pœnis, sponte susceptis, addi debent, juxta *Trident.* (sess. XIV, can. 13), pœnæ *a Deo inflictæ* et *patienter* toleratæ : sæpe enim Dominus permittit nos variis vexari adversitatibus, ærumnis, animi vel corporis doloribus, quibus patienter toleratis, præsertim si Christo conjungimur patienti ac morienti, amplam satisfaciendi opportunitatem habemus; quod pænitentiæ genus eo efficacius est quo majori alacritate et amore illud amplectimur.

770. *Thesis IIa* : **Pænitentes, qui votum satisfaciendi habent, absolvi possunt antequam sacramentalem satisfactionem impleverint.** Certum est contra Jansenistas :

(**A**) *Ex praxi Ecclesiæ* patet injunctæ pænitentiæ impletionem non esse conditionem ad remissionem peccatorum consequendam, sed tantum ad uberiorem pœnæ temporalis peccato debitæ condonationem.

(**a**) Constat enim jam primævis sæculis, in multis saltem casibus, absolutionem datam fuisse ante satisfactionem impletam :

1) *in periculo mortis;* scribit enim *Innocentius I* ad Decent.[3] : "Si quis ægritudinem incurrerit atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat"; 2) *urgente persecutione :* ita *S. Cyprianus* scribit[4] : "Merito trahebatur dolentium pænitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur... At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax. necessaria est, nec morientibus sed viventibus communio a nobis danda est, ut quos excitamus et hortamur ad prœlium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione corporis et sanguinis Christi muniamus"; 3) quando *periculum* erat ne, dilatâ absolutione, *pænitentes ad hæreticos transirent;* hinc *S. Cyprianus* ait[5] : "Quorum si pænitentiam respuamus habentium aliquam fiduciam tolerabilis conscientiæ, statim cum uxore, cum liberis, quos incolumes reservaverant, in hæresim vel schisma, diabolo invitante, rapiuntur"; 4) immo *ad arbitrium episcopi;* nam in *C. Ancyrano* (an. 314) statutum est (can. 5) "ut Episcopi, modo conversionis examinato, potestatem habeant vel *utendi clementiâ*, vel plus temporis adjiciendi".

[1] *I Joa.*, II, 16. — [2] S. Thom., *Suppl.*, q. 15, a. 3.
[3] *Ep.* XXV, c. 7, *P. L.*, t. XX, p. 559.
[4] *Ep.* 54 ad Cornelium, n. 2, *P. L.*, III, 855.
[5] *Ep.* 52 ad Antonianum, n. 15, *P. L.*, III, 781.

Ex his omnibus colligitur, etiam in casu pænitentiæ publicæ, absolutionem aliquando concessam fuisse ante expletam satisfactionem, a fortiori igitur quando agebatur de peccatis occultis.

(b) Certum est insuper sæculis subsequentibus, et quidem longe ante Jansenianam hæresim, viguisse in Ecclesiâ praxim absolvendi pænitentes, satisfactione nondum completâ.

Ita, an. 1479, a *Sixto IV* damnata fuerat ut scandalosa et hæretica hæc propositio Petri *de Osma* : " Non sunt absolvendi pænitentes, nisi peractâ prius pænitentiâ eis injunctâ "[1]. Merito igitur ab *Alexandro VIII*, 7 dec. 1690, reprobata fuit hæc Jansenistarum propositio : "Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, naturâ rei ad ipsum quodammodo dictante "[2].

(B) *Rat. conven.* Deus enim perfecte contritis statim peccata remittit, etiam nondum satisfactione plene solutâ, ut constat exemplo David, qui prius veniam peccati consecutus est, et postea pœnam subiit temporalem; necnon verbis Scripturæ, ubi asseritur Deum peccata dimittere eo ipso die quo iniquus ab iniquitate suâ fuerit conversus[3]. Atqui Ecclesia, in administratione sacramenti Pænitentiæ, divinâ potestate utitur Deumque imitari potest et debet; ergo pænitentes absolvere potest antequam satisfactionem impleverint.

[1] Ap. Denzing., n. 728 (614). — [2] Denzing., n. 1313 (1173).
[3] *Ezech.*, XXXIII, 12.

Caput iij.

DE IPSO SACRAMENTO.

Ex dictis de potestate clavium et tribus pænitentis actibus inferre licet pænitentiam esse vere sacramentum : ejus *existentiam*, *elementa constitutiva*, et *effectus* breviter declarabimus.

Art. I. De existentiâ sacramenti Pænitentiæ [1].

771. *Thesis :* **Ritus quo potestas peccata dimittendi exercetur, est verum N. Legis sacramentum, a Baptismo distinctum.** *De fide est* contra *Protestantes* et *Modernistas*, qui contendunt Pænitentiam non esse sacramentum, aut saltem non distingui a Baptismo. Ait enim *Tridentinum* [2] : " Si quis dixerit in Catholicâ Ecclesiâ Pænitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; A. S. " — " Si quis sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pænitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint... A. S. ". — Thesis breviter probatur, quia, per modum corollarii, infertur ex dictis circa potestatem clavium.

772. 1° **Scripturâ.** Ad sacramentum N. Legis tria requiruntur et sufficiunt : signum sensibile, gratiæ productivum, a Christo permanenter institutum. Atqui hæc tria in ritu quo peccata remittuntur invenire est :

(A) *Signum sensibile*, nam, ex dictis, peccata remittuntur actu *judiciali*, qui duo saltem importat, nempe sensibilem peccatorum manifestationem et externam judicis sententiam pænitentem absolventis, quibus sufficienter significatur liberatio a peccato. Signum a baptismatis ritu distinguitur; nam Baptismus *ablutione* confertur, dum Pænitentia

---

[1] **S. Thom.**, 3, q. 84, a. 1; **Suarez**, disp. XVII, sect. I; **Bellarminus**, l. I, c. 9; **Drouin**, q. 11, § 3; **Billuart**, diss. I, art. 1; **Billot**, th. 2; **L. de San**, n. 289-300. — [2] Sess. XIV, can. 1-2.

sub formâ *judicii;* in Pænitentiâ possunt *judicialiter* retineri peccata, non sic in Baptismo.

(B) *Gratiæ productivum;* peccata enim gravia, ex dictis, per hunc ritum vere remittuntur; atqui deleri non possunt sine infusione gratiæ sanctificantis, ex probatis in *Tr. de Gratiâ* (n. 138); ergo hujusmodi ritus est gratiæ productivus. — Hæc autem gratia differt a gratiâ baptismatis, cum sit proprie *remissiva* peccati ac possit *pluries* concedi, dum gratia in Baptismo collata est *regenerativa*, ac *semel* tantum confertur.

(C) *A Christo permanenter institutum;* demonstravimus enim hanc potestatem Apostolis collatam fuisse ab ipso Christo redivivo, quando dixit : "*Accipite Spiritum S.*" Eamdem vero esse in Ecclesiâ *perpetuam* constat : (a) ex generali principio, ab ipsis Protestantibus concesso, omnes nempe prærogativas, quæ ad Ecclesiam non solum fundandam, sed etiam conservandam, necessariæ sunt, Apostolis collatas fuisse non pro se tantum, sed etiam pro successoribus; atqui non minus necessaria est potestas remittendi peccata hodie quam Christi tempore, cùm homines facile in peccatum labantur. Quod jam animadvertebat *S. Pacianus*, et exinde contra Novatianos ita arguebat[1] : si potestas remittendi peccata non fuit apostolorum successoribus transmissa, cur dicitis potestatem baptizandi in perpetuum fuisse concessam? (b) Ex *historiâ*, quæ luculenter ostendit hanc facultatem ab Ecclesiâ fuisse perpetuo vindicatam et exercitam, ut probant testimonia jam allata.

773. 2º **Traditione.** Ex *Patribus*, qui sæpe Pænitentiam cum Baptismo comparant, et asserunt *utroque peccata remitti* gratiamque conferri, licet *diverso* modo.

Jam supra retulimus verba *S. Ambrosii*, n. 689. Item *S. Hieronymus*[2] asserit peccata remitti "sanguine Salvatoris aut in dono Baptismatis aut in Pænitentiâ, quæ imitatur Baptismatis gratiam per ineffabilem clementiam Salvatoris". Nec aliter *S. Augustinus*[3] *:* "Si a catechumeno factum est (homicidium), Baptismo abluitur; si a baptizato, Pænitentiâ et reconciliatione sanatur".

[1] *Ep. 1ª ad Sempron.*, n. 6; *P. L.*, t. XIII, p. 1057.
[2] *Dialog. I adv. pelag.*, n. 33; *P. L.*, t. XXIII, p. 527.
[3] *De conjug. adult.*, lib. II, c. 16; *P. L.*, t. XL, p. 482.

Ex his et aliis testimoniis quæ citari possent, sequitur Pænitentiam, non minus quam Baptismum, verum esse sacramentum, cùm in utroque peccata deleantur gratiaque infundatur.

Ceteroquin, ex totâ descriptione pænitentialis disciplinæ constat maximum esse discrimen inter baptismum et pænitentiam : hæc enim multo magis laboriosa erat quam præparatio ad baptismum.

774. 3° **Rat. convenientiæ** [1]. Decebat siquidem divinam misericordiam remedium instituere non solum contra originale peccatum, sed etiam contra actualia peccata post Baptismum commissa; homo enim, etiam regeneratus, multis tentationibus obnoxius remanet et facile labitur. Atqui optimum sane remedium est sacramentum Pænitentiæ, vi cujus de condonatis peccatis certiores esse possimus, per sententiam judicialem a ministro Dei latam, et sic pacatiores reddi, ut supra ostendimus, n. 744.

Art. II. De elementis constitutivis hujus sacramenti.

Quando Scholastici suam generalem theoriam de materiâ et formâ sacris ritibus accommodârunt, docuerunt sacramenta duplici elemento essentiali constare, nempe materiâ et formâ; quem loquendi modum Ecclesia usurpavit, præsertim in Conciliis *Florentino* et *Tridentino*. Utrumque Concilium declaravit tres actus pænitentis esse *quasi materiam* sacramenti Pænitentiæ, *formam* vero esse verba absolutionis.

§ I. De materia sacramenti Pænitentiæ [2].

775. 1° **Status quæstionis.** Duplex in sacramentis distinguitur materia : remota et proxima. Materia Pænitentiæ *remota*, seu potius materia *circa quam* versatur sacramentum, sunt *omnia peccata post baptismum commissa*, sive mortalia, sive venialia, sive jam per absolutionem remissa,

[1] Cf. *Catech. Roman.*, de Pænit., n. 14.

[2] **S. Thom.**, 3, q. 84, a. 2; **Suarez**, disp. XVIII, sect. 3; **Salmant.**, disp. I, dub. 2; **Billuart**, diss. I, a. 2; **Palmieri**, th. 14; **Billot**, th. 3; **L. de San**, n. 300-343.

sive non. Mortalia nondum accusata et absoluta sunt materia *necessaria*, seu necessario subjicienda clavibus Ecclesiæ; venialia vero et mortalia jam remissa, sunt materia *sufficiens et libera*, id est, quæ potest, sed non necessario debet clavium potestati subjici.

Sed quæstio oritur de *materiâ proximâ* hujus sacramenti; disputant theologi in quo scilicet essentialiter consistat, utrum in tribus pænitentis actibus, an in absolutione aut aliâ actione. Tres præsertim hâc de re prodierunt sententiæ.

776. (A) Nonnulli antiquiores theologi, ut *Gulielmus Antissiodor.* et *Alexander Alens.*, putârunt materiam proximam sitam esse in *impositione manûs* a sacerdote factâ, dum pænitentem absolvit. Sed hæc opinio communiter a theologis rejicitur. Triplex quidem commemoratur hujusmodi impositio apud auctores ecclesiasticos [1] : *prima*, quæ adhibebatur quando pænitentia publica imponebatur; *secunda*, quæ super pænitentes repetebatur, quoties ab ecclesiâ post catechumenos dimittebantur; *tertia* tandem in reconciliatione pænitentium. Sed iste ritus *non* ut *essentialis* habebatur, ut clare colligitur ex Canone *C. Arausicani I*, ubi dicitur : "Qui recedunt de corpore, pænitentiâ exceptâ, placuit sine reconciliatoriâ manûs impositione eis communicari, quod morientis sufficit consolationi, secundum definitionem Patrum"; jamvero si manûs impositio necessaria fuisset ad remissionem peccati, certe morientes eâ privati non fuissent.

777. (B) *Scotistæ*, quibus assentiunt *Maldonatus*, *Ballerini*, *Berardi* aliique [2], docent totam essentiam sacramenti in *absolutione* consistere, quæ, quatenus externa est cæremonia, materiam constituit, et, quatenus vim habet significandi, est forma.

1) Juxta *Scotum veteresque* ejus discipulos, tres actus pænitentis sunt non solum *dispositiones* ad validam et fructuosam sacramenti receptionem, sed etiam *conditiones* sine quibus præcedentibus non potest minister sufficienter cognoscere causam et sententiam ferre; quapropter concludunt exteriorem harum dispositionum manifestationem esse vere de necessitate sacramenti. 2) Secundum *recentiores* Scotistas, hujusmodi actus sunt tantum *dispositiones* ad

[1] Cf. Sirmundus, *Historia pænitent. publicæ*, c. VII; Palmieri, p. 159.

[2] Scotus, *In IV Sent.*, dist. 14, q. 4 et dist. 16, q. 1; Maldonat, *de Pænitent.*, p. III, th. 7; Ballerini-Palmieri, *de Pænit.*, n. 5 sq.; Berardi, *Praxis Confessar.*, t. IV, n. 2.

dignam sacramenti receptionem requisitæ : quare necesse non est ut actu exteriori manifestentur.

Sic autem arguunt : (a) imprimis res a *Tridentino* non fuit definita, ut a quibusdam Thomistis asseritur; nam, ut narrat *Pallavicini*[1], Synodus tres pænitentis actus non materiam, sed *quasi-materiam* appellavit, nec eos ad essentiam, sed solum ad *integritatem* sacramenti necessarios esse declaravit. (b) Sacramentum est id quod proprie significat et confert gratiam; atqui sola absolutio sacerdotis proprie gratiam sacramentalem significat et confert; ergo sola proprie est essentia sacramenti. (c) Certum est, ex praxi Ecclesiæ, posse sacramentalem absolutionem iis dari qui nullum *exterius* edunt signum contritionis; atqui, si tres pænitentis actus essent materia sacramenti, hoc invalidum esset, cùm materia *sensibilis* esse debeat; ergo hujusmodi actus non sunt materia sacramenti, sed solum dispositiones, et tota essentia sacramenti in absolutione consistit.

(C) Communior tamen sententia, quam propugnant non solum *S. Thomas*, ejusque discipuli, sed et *Suarez*, *Salmanticenses*, *De Lugo*, *Bellarminus*, aliique multi, tenet tres actus pænitentis esse vere materiam proximam sacramenti.

778. 2° *Thesis :* **Tres pænitentis actus, contritio, confessio et satisfactio sunt materia proxima sacramenti Pænitentiæ.** Ita communius.

(A) *Florentinum*, in Decreto ad Armenos, post declaratam necessitatem materiæ et formæ in quolibet sacramento, hæc addit : " Quartum sacramentum est Pænitentiæ, cujus *quasi materia* sunt *actus pænitentis*, qui in tres distinguuntur partes ". Similiter *Tridentinum*[2] : " Sunt autem *quasi materia* hujus sacramenti ipsius *pænitentis actus*, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in pænitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hâc ratione Pænitentiæ partes dicuntur ". Unde sic : duo præfata Concilia materiam et formam ceterorum sacramentorum distincte commemoraverunt, et quando de Pænitentiâ egerunt, nullam aliam materiam designârunt nisi tres actus pænitentis; ergo illi actus sunt vere materia proxima hujus

[1] *Historia C. Trident.*, lib. XII, c. 12.
[2] *Trident.*, sess. XIV, cap. 3; cfr. can. 4.

sacramenti, nisi forte dicatur hujusmodi materiam fuisse ex industriâ prætermissam : quod vix admitti potest in re tanti momenti.

Nec objiciatur Concilia dixisse *quasi-materiam*, non autem materiam; "neque vero hi actus *quasi materia* a S. Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materiæ non sint, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, et chrisma in Confirmatione "[1].

(B) Insuper Christus hoc sacramentum instituit per modum *judicii*, in quo duo elementa constitutiva invenire licet, nempe materiam ipsius judicii quam pænitens præbet, et sententiam quæ a judice fertur; atqui materia judicii tribus pænitentis actibus præbetur, videlicet humili peccatorum *confessione*, quam sincera *contritio* comitatur et *satisfactio* sequitur; ergo hujusmodi actus sunt vere materia proxima sacramenti.

Objicitur quidem absolutione tantum, non autem his actibus, gratiam significari et conferri, proindeque illos ad sacramenti essentiam non pertinere; sed immerito, nam licet forma, in hoc sacramento, ut in ceteris, sit præcipua causa instrumentalis gratiæ, actus pænitentis aliquid conferunt ad gratiæ communicationem, quatenus animam disponunt ad eam recipiendam; aliunde, positivâ Christi institutione ad dignitatem materiæ sacramentalis evecti, vere concurrunt cum formâ quâ, ut ita dixerim, fecundantur, ad gratiam producendam.

Nec dicere juvat contritionem non esse quid sensibile; licet enim non sit sensibilis immediate et in se ipsâ, mediate tamen fit sensibilis quatenus per actus exteriores confessionis, satisfactionis aliaque doloris signa manifestatur[2]. Aliunde sufficit ut materia sit *virtualiter* sensibilis; proinde etiam homo sensibus destitutus, qui antequam in hunc statum incideret, verbis aut signis contritionem manifestavit, eo ipso exhibet contritionem virtualem.

His tamen non obstantibus, libenter fatemur Scotistarum opinionem *probabilitate non carere*, neque in praxi despiciendam : proinde, in casu extremæ necessitatis, etiamsi externa contritionis signa desint, pænitens sub conditione est absolvendus.

---

[1] *Catech. C. Trident.*, de Pænit., n. 17. — Hinc S. Thomas ipse hoc dicendi modo usus est : "Quartum sacramentum est Pænitentia, cujus *quasi-materia* sunt actus pænitentis". (*De artic. fidei et eccl. sacramentis*, t. XXVII, p. 180 ed. *Vivès*). — [2] S. Thom., 3 p., q. 90, a. 2, ad 1.

§ II. De forma sacramenti Pænitentiæ[1].

779. Docet *Tridentinum*[2] " sacramenti Pænitentiæ formam, in quâ præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse : *ego te absolvo*, etc.; quibus quidem de Ecclesiæ S. more preces quædam laudabiliter adjunguntur : ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant ".

Hæc est quidem forma hodie in Ecclesiâ occidentali adhibita; cùm vero antiquitus aliæ formæ in usu fuerint, et hodie aliquando adhibeatur forma *conditionata*, abs re non erit 1° antiquas formas breviter describere; 2° expendere num forma *conditionata* sit valida et licita.

I. Conspectus historicus diversarum absolutionis formarum.

780. 1° **Facta exponuntur.** (A) In utrâque Ecclesiâ, per decem priora sæcula, formæ absolutionis fuerunt *deprecativæ*, nempe : " Deus, ei condona, eum absolve, etc."; non autem indicativæ : " Ego te absolvo, tibi condono, etc. "

Quod constat : (a) ex testimonio Patrum, qui, cum S. Leone, dicunt in sacramento pænitentiæ indulgentiam Dei *supplicationibus sacerdotum* obtineri[3]; (b) sed præsertim ex *Sacramentariis* et *Pænitentialibus*, ubi nonnisi deprecativæ formulæ inveniuntur; ita, in Sacramentario *Gelasiano*, ad reconciliandum *publice* pænitentem hæc pronuntiatur oratio : "Omnipotens sempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tuâ pietate relaxa, ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam"[4]. Ibidem, ad reconciliandum *privatim* pænitentem ad mortem, variæ effunduntur preces, quæ ita concluduntur : " Respice propitius super hunc famulum tuum remissionem sibi omnium peccatorum totâ cordis confessione poscentem "[5]. — Attamen, sæculis octavo et nono, inveniuntur etiam formulæ *imperativæ* deprecativis conjunctæ, v. g. : " Sis namque absolutus a Deo Patre et Filio et Sancto Spiritu, ab omnibus tuis peccatis "[6].

---

[1] **S. Thomas**, 3 p., q. 84, a. 3; **Suarez**, disp. XIX; **De Lugo**, disp. 13; **Salmantic.**, disp. III; **Morinus**, l. VIII; **Drouin**, q. II, c. 3; **Billuart**. diss. I, a, a. 3; **de Augustinis**, th. 23; **Palmieri**, th. 12; **Billot**, th. 3.

[2] *Trident.*, sess. XIV, cap. 3.

[3] **S. Leo**, *ep.* 108 ad Theodor., *P. L.*, t. LIV, p. 1011.

[4] *P. L.*, t. LXXIV, p. 1097. — [5] *Ibid.*, p. 1098.

[6] Ita in Pænitentiali *Egberti*, archiep. Eboracensis (an. circiter 732), ap **Morinum**, *op. cit.*, Appendix, p. 19.

781. (B) A sæculo *undecimo*, in Ecclesiâ *latinâ* incipit *transitus* a formulis deprecativis ad indicativas, ambæque simul in iisdem documentis inveniuntur. Ita, in quodam ordine Pænitentiæ formulis deprecativis hæc additur[1] : " Nos etiam, secundum auctoritatem nobis indignis a Deo commissam, absolvimus vos ab omni vinculo delictorum vestrorum, etc. " Pariter, in ordine Ecclesiæ Remensis, sæc. XII, absolutionis forma legitur simul deprecativa et indicativa[2] : " Omnipotens Deus, qui beato Petro apostolo suo, ceterisque discipulis suis suam licentiam dedit ligandi atque solvendi, *ipse vos absolvat* ab omni vinculo delictorum; et, quantum nostræ fragilitati permittitur, sitis absoluti ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, habeatisque vitam æternam... ". — Etiam initio sæculi XIII adhuc vigebat forma deprecativa; hæc enim scribit *Gulielmus Parisiensis*[3] : " Neque more judicum forensicorum pronuntiat confessor *absolvimus te*, sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem et remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat ". Quod pariter constat ex *S. Thomâ*, Opusc. 18, c. 5; cùm enim adversarius dixisset : " vix triginta anni sunt, quod *omnes* hâc solâ formâ deprecativâ utebantur ", Angelicus Doctor id absolute non negat, sed solum hoc modo corrigit : " Quomodo de *omnibus* potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit? " — Paulo post autem forma *indicativa* communiter in Ecclesiâ Latinâ recepta fuit; attamen, antequam pronuntietur, recitantur preces " *Misereatur*, *Indulgentiam*, Dominus noster Jesus Christus *te absolvat* ", quæ sunt veluti commemoratio antiquæ disciplinæ.

782. (C) In ecclesiâ *orientali*, post sæculum XIII, forma mansit deprecativa, immo et hodie in multis ecclesiis manet[4] : quidam, ut *Syri* et *Maronitæ*, Romanæ Ecclesiæ uniti, formam indicativam ab Ecclesiâ latinâ mutuaverunt; alii vero formam deprecativam retinent. — *Rutheni* vero, quanquam schismatici, formâ utuntur quæ est simul deprecativa et indicativa.

783. 2° **Conclusiones ex factis deducendæ.** (A) Cum *Hurter* (n. 626), indubitanter tenemus formam deprecativam validam fuisse, ubicumque modo generali prævaluit; non enim censemus absolutiones datas in magnâ Ecclesiæ parte per multa sæcula, invalidas fuisse. Aliunde forma deprecativa, cum intentione absolvendi, et attentis circumstantiis,

---

[1] *Magna Bibliotheca Patrum*, Coloniæ, 1618, t. VIII, p. 423-424.

[2] Ap. **Morinum**, *op. cit*,, p. 48; cfr. p. 71.

[3] *De sacram. Pænit.*, c. 19, Venetiis, 1591, p. 472, col. 2.

[4] **Morinus**, l. VIII, c. 12, n. 7, p. 547. — Ita etiam **Denzinger** (*Ritus Orient.*, t. I, p. 101) : " Forma absolutionis apud Orientales (catholicos et non catholicos) si solos Armenos excipias, deprecativa est. " — Cfr. **Vacant,** *Dict. de Théol.*, t. I, p. 205-214, ubi variæ describuntur Orientalium formæ.

æquipollet formæ *assertivæ :* ostendit enim sacerdotem esse Dei ministrum et nonnisi auctoritate ejus absolvere.

Nec ægre hæc mutatio in formâ conciliari potest cum sententiâ in *Tr. de Sacramentis* (n. 280) expositâ, videlicet non omnes sacramentorum formas fuisse a Christo in specie infimâ determinatas; nam, si Ecclesia jus habet determinandi in specie hujusmodi formas, nil prohibet quin forma deprecativa, cum intentione sententiam judicialem ferendi, sit valida.

(B) Quidquid est, cùm jam a pluribus sæculis Ecclesia *occidentalis* indicativæ formæ usum præscripserit, merito de valore formæ deprecativæ in Ecclesiâ *latinâ* dubitaretur. Ceterum fatemur formam indicativam magis convenire potestati *judiciali*, quæ ministris Ecclesiæ competit. Sedulo igitur *in praxi* adhibeatur formula quæ in Romano Rituali invenitur.

784. **Corollarium.** Verba *absolvo te*, non significant : ego te *declaro* a peccatis absolutum; cùm enim, ex dictis, Ecclesiæ ministri verâ potestate polleant fideles absolvendi, verba eorum non mere declaratoria sunt, sed *efficiunt* quod significant. Juxta *communem* sententiam, sensus est : ego te absolvo a peccatorum vinculo, seu tibi remitto delicta tua, conferens gratiam peccati remissivam [1]; proinde, juxta sententiam quam probabiliorem judicamus, *directe* significatur peccati remissio, *indirecte* gratia sanctificans, cùm in præsenti ordine non remittatur gravis offensa nisi per infusionem gratiæ. Hic est *proprius* sensus vocabuli *absolvo* secundum humanum usum, qui etiam in sacramentis retinendus est.

II. De formâ conditionatâ.

785. Hucusque de formâ absolutâ, quæ regulariter adhiberi debet. Quandoque tamen uti expedit formâ conditionatâ, quæ non absolute, sed sub aliquâ conditione peccatorem absolvit. *Gersonius* (sæc. XV) primus esse videtur qui conditionatæ absolutionis validitatem explicite propugna-

[1] Juxta **Suarez**, disp. XIX, sect. II, n. 13-20, *ego te absolvo* significat : "ego tibi gratiam sanctificantem confero remissivam peccati". Hoc autem non placet Cardinali **de Lugo**, disp. XIII, n. 69-74, qui recte animadvertit verba absolutionis *ex se* non significare directe gratiæ collationem, quamvis eam producant ex institutione Christi. — Cfr. **Vacant**, *Dict. de Théol.*, t. I, p. 194.

verit[1]; cujus opinionem acriter impugnavit *Cajetanus*[2]; communior tamen et moraliter certa evasit sententia hanc absolutionem, positis ponendis, validam esse.

786. Secundum principia in *Tr. de Sacramentis* exposita, n. 355, **forma conditionata est invalida quando in suspenso relinquit effectum sacramenti, valida autem si minime suspendit effectum.**

Jamvero conditio *de futuro incerto*, v. g., *absolvo te, si infra mensem restitueris*, suspendit effectum sacramenti; nam tempore quo sacramentum confertur, effectus non producitur, cùm incerta sit conditionis executio, et aliunde remaneat suspensa et ipsa sacerdotis intentio; tempore autem quo conditio verificatur, jam non existit sacramentum, nec proinde suum effectum sortiri valet.

Conditio autem *de præterito* vel *de præsenti*, v. g., *te absolvo si jam restitueris*, vel *si sis vivus*, sacramenti effectum non suspendit, nec proinde absolutionem invalidam reddit, nam eo tempore quo sacramentum conficitur, conditio jam verificatur, vel non : si prius, absolutio statim suum producit effectum ; si posterius, statim invalida est.

Neque dicatur formam conditionatam obstare naturæ hujus sacramenti, quod per modum *judicii* administratur. Nam, etiam in humanis judiciis, sententia conditionata haud raro fertur, v. g., *in carcerem ibis, nisi infra tres dies debitum solveris;* vel *ad carcerem te condemno, sed, si in culpam non reincidas, pro tempore a pœnâ immunis eris.* Aliunde judicium civile ab hominibus executioni mandatur, dum confessarii sententiam Deus ipse exsequitur : sufficit igitur ut Deus noverit utrum conditio adimpleta fuerit vel non.

787. Pauci tamen theologi, ut *Lovanienses* et *Collet*[3], dixerunt conditionem etiam de præsenti invalidare sacramentum, si non sit conditio *facti* (v. g., si vivis, si es capax), sed *juris* (v. g., si es dispositus, si vis restituere); nam per hujusmodi conditionem destruitur natura judicii, cùm ad ipsum confessarium spectet judicium ferre de his dispositionibus pœnitentis. — Hæc autem ratio non valet ; nam con-

[1] *De Schismate tollendo*, inter *Opera omnia*, Antuerpiæ, 1706, t. II, p. 79; *De Unitate Ecclesiæ*, p. 118. — [2] *Summula de peccatis*, Lugduni, 1551, p. 3.
[3] Collet, ap. *Migne*, Theol. Cursus, t. XXII, 732.

fessarius de dispositionibus pænitentis utique judicare debet, sed *modo humano*, in quantum fieri potest; jamvero aliquando judicat rem esse dubiam, proindeque, si gravis accedit ratio, absolutionem sub conditione concedendam esse.

Ceterum, ut tollatur omne dubium, sufficit ut confessarius, de dispositionibus pænitentis dubitans, eum absolvere intendat juxta intentionem Christi et Ecclesiæ sub tacitâ conditione : *si tu es capax*, quæ ab omnibus tanquam valida habetur.

Art. II. De effectibus sacramenti Pænitentiæ.

788. Sacramentum Pænitentiæ producere gratiam *ex opere operato* satis constat ex *Tr. de Sacramentis.*

(A) Quando pænitens *in peccato mortali* versatur : (a) gratia huic sacramento *propria* est gratia *sanctificans prima* seu *peccati remissiva.* Quæ variis nominibus appellatur, quibus hic effectus lucidius declaratur : gratia *resurrectionis*, quâ spiritualiter mortui vitam gratiæ recuperant; *sanationis*, quâ eorum vulnera, ipsis cooperantibus, curantur; *reconciliationis*, quâ, reparatâ injuriâ Deo irrogatâ, in divinam amicitiam recipiuntur. (b) Huic annectitur *jus ad gratias actuales* tempore opportuno recipiendas, quibus pro *præteritis peccatis* pænitens satisfacere valeat, *futuraque* in posterum vitare. (c) Remittitur insuper *pœna æterna* et minuitur *pœna temporalis* peccato debita. (d) *Merita* autem per peccatum mortificata *reviviscunt.*

(B) Quando pænitens autem jam *in statu gratiæ* versatur : (a) *augmentum gratiæ* sanctificantis accipit cum jure ad gratias actuales, ut supra; (b) *venialium remissionem* tutius et efficacius consequitur; (c) necnon partialem *pœnæ temporalis* condonationem.

Cùm plura ex his jam declarata fuerint, satis erit breviter agere : 1° *de remissione mortalium;* 2° *de remissione pœnæ* peccato debitæ; 3° *de reviviscentiâ meritorum.* — Pauca addemus de *remissione peccati venialis*, sive intra sive extra sacramentum.

§ I. De remissione peccatorum mortalium.

789. 1° Ex dictis supra de potestate clavium (n. 664 sq.) jam inferre licet, per sacramentum pænitentiæ, vere *coram Deo condonari omnia peccata* post baptismum commissa, nec ullum peccatum esse irremissibile. Id jam probavimus ex multis testimoniis, simul explicando textus Scripturæ et Patrum, ex quibus adversarii difficultates proponunt. — Eadem vere deleri et non tantum radi, ita ut non redeant propter subsequens peccatum, in *Tr. de Gratiâ*, n. 138, probatum est. Hunc autem effectum produci *ex opere operato non* autem *declarando* peccata esse remissa, constat ex *Tr. de Sacram.*, n. 300, et ex hoc canone *Tridentino*[1] : " Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tamen credat se esse absolutum... A. S. "

Hic sufficiat difficultatem solvere quam hodierni Protestantes et Rationalistæ proponunt, et quæ tempore S. Augustini jam ab hæreticis et paganis urgebatur : " Vos, inquiebant, facitis ut peccent homines, cum illis promittitis veniam, si egerint pænitentiam. " Quod eloquenter confutat S. Augustinus, ostendendo promissione veniæ animos ad pænitentiam induci, eos ex adverso, hâc spe sublatâ, in desperationem cadere, et consequenter in vitiorum cœnum : " Si clauderetur aditus pænitentiæ, nonne ille peccator tanto magis adderet peccata peccatis, quanto magis sibi desperaret ignosci? Diceret enim sibi : ecce peccavi, ecce scelus admisi, jam mihi veniæ nullus est locus, pænitentia infructuosa est, damnandus sum; quare jam non vivo ut volo? Quia ibi non invenio caritatem, hic saltem pascam cupiditatem. Quare enim me abstineam? Ibi mihi locus omnis clausus est : hic quidquid non fecero, perdo, quia vita, quæ post hanc futura est, non mihi dabitur. Quare ergo non servio libidinibus meis, ut eas impleam et saturem?... Ergo si tuleris portum pænitentiæ, desperatione augebunt peccata." Qui vero veniam speraverit, non potest augere peccata sicut vult; nam eum monet Scriptura ne pænitentiam differat et in peccato obduretur; subito enim morte percuti potest, et in manus Dei viventis incidere. Ita igitur concludit : " Ecce ad utrumque vigilavit pro nobis providentia Dei. Ne desperando augeamus peccata, propositus est pænitentiæ portus; rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus "[2].

[1] Sess. XIV, can. 9.
[2] S. August., *sermo* 352, n. 9; *P. L.*, t. XXXIX, p. 1559-1560.

790. *Corollarium.* Exinde sequitur *non posse unum mortale peccatum remitti sine alio.* Etenim (a) peccatum non tollitur nisi per infusionem gratiæ habitualis; atqui quodlibet peccatum mortale directe gratiæ habituali contrariatur eamque excludit; ergo unum lethale peccatum non potest sine alio remitti : nam, si unum maneat in animâ, totaliter gratiam excludit; (b) peccatum non potest remitti sine verâ pænitentiâ, ad quam pertinet peccatum detestari quatenus est offensa Dei; atqui omnia mortalia vere Deum offendunt; ergo non potest quis vere de uno peccato pænitens esse quin de omnibus aliis doleat, saltem *virtualiter*, immo et formaliter, si de eis actu cogitat.

§ II. De remissione pœnæ peccato debitæ.

791. (A) *Sacramentum pænitentiæ semper remittit pœnam æternam cum culpâ.* Certum est. (a) Docet enim *Tridentinum* pænitentem post receptam absolutionem teneri satisfacere per jejunia, eleemosynas et orationes, " *non quidem pro pœnâ æternâ*, quæ vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpâ remittitur; sed pro pœnâ temporali, quæ, ut sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis ". (b) Remissio enim peccati mortalis fit per infusionem gratiæ habitualis; atqui gratia habitualis nos facit divinæ consortes naturæ, Dei amicos ejusque filios adoptivos cum jure ad æternam beatitudinem, ut demonstravimus in *Tr. de Gratiâ* (n. 139 sq.); ergo pœnam æternam remittit.

792. (B) *Sacramentum Pœnitentiæ minuit etiam pœnam temporalem peccato debitam.* Nam, juxta *Tridentinum* (cap. 3), satisfactio una est ex tribus partibus quæ ad integritatem sacramenti pertinent et ad plenam perfectamque remissionem peccatorum concurrunt; atqui satisfactio non concurrit directe ad remissionem culpæ, cùm hæc remittatur ante satisfactionem peractam; ergo concurrit ad remissionem pœnæ.

Quod quidem præstat *ex opere operato*, juxta communem sententiam, quæ tenet tres actus pænitentis esse materiam proximam sacramenti.

(C) Sacramentum Pænitentiæ *non semper tollit totam pœnam temporalem*, ut jam probavimus, sed *quandoque id præstat*, si videlicet contritio sit *intensissima*. Cùm enim hujusmodi temporalis pœna sit finita, contritio ita intensa esse potest ut eam adæquate et totaliter remittat.

§ III. DE MERITORUM REVIVISCENTIA [1].

793. *Status quæstionis.* Quando quis sacramento Pænitentiæ justificatur, accipit, simul cum gratiâ habituali, *virtutes infusas* quas per peccatum amiserat : cùm enim a gratiâ profluant, sicut proprietates ab essentiâ, restitutâ gratiâ, restituuntur pariter virtutes, et quidem eo intensiores quo perfectior est subjecti dispositio. Sed insuper quæstio est num *merita per peccatum mortificata reviviscant.*

Ad cujus intelligentiam pauca sunt prænotanda de variis operibus in ordine ad meritum. (a) *Viva* dicuntur opera quæ in statu gratiæ fiunt, excitante et adjuvante gratiâ actuali, tum quia sunt a principio spirituali vivente, tum quia vitam æternam merentur. (b) *Mortua* vero ea sunt quæ, licet bona et supernaturalia, fiunt in statu peccati, nec proinde meritoria sunt vitæ æternæ. (c) *Mortifera* ea sunt quæ hominem vitâ gratiæ privant, ut peccata mortalia. (d) *Mortificata* autem dicuntur ea opera quæ, in statu gratiæ facta, per subsequens mortale peccatum impediuntur a suo effectu, quatenus hominem ad vitam æternam ducere non amplius valent.

Jamvero quæstio est num merita sic *mortificata* reviviscere possint. Affirmative respondent theologi communiter, sed de modo et gradu quo reviviscant, controvertitur.

794. *Thesis* : **Remisso per pænitentiam peccato, opera prius in caritate facta, et per subsequens peccatum mortificata, reviviscunt.** Ita communiter.

(A) *Scripturâ* solâ res probari nequit; sed Patres duobus textibus utuntur ad proponendam suam de reviviscentiâ doctrinam. (a) Allegant hæc verba *ep. ad Hebræos* : " Non enim injustus est Deus ut *obliviscatur operis vestri et dilectionis*, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis " [2]. Atqui, aiunt Patres et theo-

[1] S. Thomas, 3, q. 89; Suarez, *Opusc. V*, De meritis mortificatis; Salmantic., *de Merito*, disp. V; Billuart, diss. III, a. 5; Palmieri, th. 19; de Augustinis, p. I, art. 10; Billot, p. 94-108.

[2] *Hebr.*, VI, 10.

logi, hìc agitur de operibus in gratiâ factis et mortificatis; nam Apostolus Hebræos alloquitur, quorum nonnulli in peccatum lapsi fuerant; ergo Deus non obliviscitur bonorum operum eorum qui pænitentiam agunt, sed ea remunerat. Ad rem *S. Epiphanius*[1]: "In quo vides, quemadmodum et instaurationem illam secundam fieri non posse omnino pronuntiaverit, neque tamen a salute illos excluserit quos peccati sui pæniteret; sed et saluti propinquos esse dixerit, et *Deum recte ab iis factorum esse susceptorem*, qui delictorum suorum absolutam pænitentiam capesserent". (b) Patres idem ex alio loco deducunt[2]: "Tanta passi estis sine causâ, si tamen sine causâ". Quæ verba sic exponit *S. Hieronymus*[3]: "Quicumque ob Christi fidem laboraverit et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causâ passus fuisse dicitur dum peccat, sic rursum non perdit ea, si ad pristinam fidem revertatur".

(B) Ex *Tridentino* etiam thesis colligi potest: nam declarat bona opera justi "vere mereri augmentum gratiæ et vitæ æternæ consecutionem, *si tamen in gratiâ decesserit*[4]; porro ibi non exigitur ut a primâ justificatione quis usque ad mortem sine interruptione perseveret, sed solum ut *in gratiâ decedat;* ergo si quis mortaliter peccaverit et postea ipsum pæniteat, ejus merita reviviscunt.

(C) *Ratione* suadetur. (a) Opera in caritate facta, si secundum se spectentur, semper in acceptatione divinâ manent, et ideo dumtaxat mortificari dicuntur quia per peccatum a suo effectu impediuntur, quatenus mortaliter peccans indignus est vitâ æternâ; atqui tale impedimentum per pænitentiam tollitur; ergo opera prius mortificata, per pænitentiam recuperant vim in vitam æternam perducendi eum qui ea perfecit[5]. (b) Deus non vult aliquâ pœnâ æternâ punire peccatum remissum; atqui si merita prius comparata non restituerentur, culpâ remissâ, peccatum pœnâ æternâ puniretur; nam privatio gloriæ iis meritis respondentis esset vera pœna, et quidem æterna; ergo.

[1] *Hæres.* 59, n. 2; *P. G.*, XLI, 1019. — [2] *Galat.*, III, 4.
[3] *Comment. ad Gal.*, l. I, c. 3; *P. L.*, t. XXVI, p. 350.
[4] *Trident.*, sess. VI, can. 2.
[5] S. Thom., 3, q. 89, a. 5.

795. De *modo* autem et *gradu* quo merita reviviscunt disputatur inter theologos, et nil certi definiri potest :

(a) Prima opinio tenet, cum *Bannez*[1], opera mortificata reviviscere tantum eo sensu quod gloria justo a peccato resurgenti dabitur *duplici titulo*, videlicet tum propter merita præcedentia, tum propter nova ab ultimâ justificatione comparata, non tamen major quam hisce ultimis debetur. Quæ tamen opinio merito rejicitur, cùm ipsam reviviscentiam negare videatur : quid enim prodest duplici titulo eamdem gloriæ quantitatem accipere?

(b) Secunda opinio docet omnia opera mortificata restitui quidem statim post pænitentiam, quoad *meritum vitæ æternæ*, non autem quoad quantitatem *gratiæ habitualis* antea habitæ; videlicet gratia ipsa habitualis antea amissa non restituetur nisi mortis instanti, aut post mortem, primo glorificationis instanti. Ratio est quia gratia in justificatione non datur nisi secundum cujusque dispositionem et cooperationem[2]; non autem secundum merita prius acquisita. Ita *Scotus* et *Salmanticenses*.

(c) Juxta *tertiam* opinionem, quam propugnant *Dom. Soto* et *Ledesma*, merita ita reviviscunt secundum præsentis dispositionis gradum, ut si quis actum contritionis eliciat ut quinque, decem gradus gratiæ recipiat, quinque ratione præcedentium meritorum, et quinque ratione actualis dispositionis.

(d) *Suarez* autem, cum multis modernis, tenet omnia merita antea comparata statim peccatori pænitenti restitui sive quoad jus ad gloriam, sive quoad gratiam. Nam hujusmodi merita, ex dictis, semper in acceptatione Dei manent, et a suo effectu nonnisi per peccatum mortale impediuntur; ergo, remisso peccato, impedimentum statim tollitur, et nihil prohibet quin merita præterita statim omnem suum consequantur effectum. Hanc opinionem ut benignitati divinæ magis consentaneam libenter amplectimur, sed simul fatemur solutionem hujus quæstionis a solâ voluntate Dei pendere, quæ nobis sufficienter non innotescit.

Scholion : De remissione peccati venialis[3].

796. Hucusque de peccati mortalis remissione directe egimus : pauca tamen de venialium remissione subjungere expedit.

(A) Peccatum veniale sine *gratiâ* remitti nequit; nam, ex dictis in *Tr. de Gratiâ*, nil supernaturale sine gratiâ peragi potest; atqui

---

[1] *In 2. 2.*, q. 24, a. 6.

[2] Quod principium ita exponit **S. Thomas**, q. 89, a. 2 : " Formæ quæ possunt recipere *magis* et *minus*, intenduntur et remittuntur secundum diversam dispositionem subjecti... Et inde est quod secundum quod motus liberi arbitrii in pænitentiâ est intensior vel remissior, secundum hoc pænitens consequitur majorem vel minorem gratiam ".

[3] **S. Thomas**, 3, q. 87; **Suarez**, disp. XI-XII; **de Augustinis**, p. I, a. 9.

remissio peccati venialis est aliquid supernaturale, cùm tollat impedimentum quo retardamur a fine supernaturali. Hinc in *C. Arausicano II*, can. 14 legitur : "Nullus miser de quâcumque miseriâ liberatur, nisi qui Dei misericordiâ prævenitur".

797. (B) Peccatum veniale *conjunctum mortali* sine *gratiæ habitualis* infusione remitti nequit. Nam cujuslibet culpæ remissio supponit amicitiam divinam; est enim favor gratuito concessus, non debitus; atqui amicitia divina peccatori non redditur nisi per infusionem gratiæ habitualis. — Sed peccatum veniale in eo qui jam in statu gratiæ versatur, remitti potest *per se* sine habitualis gratiæ infusione; nam, ut ait *S. Thomas*, unumquodque tollitur per suum oppositum; atqui oppositum peccati venialis non est gratia habitualis, quæ per eum non amittitur, sed fervor caritatis; ergo peccatum veniale tolli potest *ex se* per actum ferventem sine infusione gratiæ. Quod comparatione illustratur : sicut enim corpus dupliciter contingit maculari, per privationem decoris vel per superinductionem luti aut pulveris, ita etiam anima dupliciter maculatur, privatione decoris gratiæ vel inordinatâ inclinatione ad temporalia seu peccato veniali : prior macula nonnisi infusione gratiæ tolli potest, posterior autem removetur eo ipso quod actu fervoris cessat inordinata adhæsio ad temporalia.

798. (C) Peccata venialia justi remitti possunt ex opere operato et ex opere operantis :

(a) *Ex opere operantis*, videlicet per actum contritionis aut caritatis perfectæ, juxta omnes, immo probabilius per actum attritionis. Aliquam requiri contritionem ad remissionem peccati venialis sic probat *Angelicus Doctor* : peccatum veniale, quamvis non sit aversio a Deo ultimo fine, aliquam deordinationem continet, quatenus retardat affectum hominis, ne prompte in Deum feratur; atqui talis deordinatio tolli nequit nisi dispositione contrariâ, nempe detestatione et retractatione peccati : si voluntas enim in illâ inordinatâ adhæsione rebus temporalibus perseverat, peccatum ipsum animæ adhærebit, cùm, manente causâ, maneat effectus.

Optima sane dispositio est *contritio perfecta*, cùm peccatum etiam mortale tollat; sed probabilius sufficit etiam *attritio;* nam venialia, si mortalibus comparentur, levia sunt, nec proinde eadem dispositio requiritur ad venialium quam ad mortalium remissionem; sufficit igitur contritio minus perfecta seu attritio. Aliunde attritus de veniali protinus fit contritus per caritatem habitualem, ut dictum est de attrito sacramentum pænitentiæ suscipiente, n. 758.

Nec necesse est ut hæc attritio formalis sit; sed *virtualis* sufficit, puta, cùm aliquis hoc modo fertur in Deum, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse, etiamsi actu de eo non cogitet.

(b) *Ex opere operato*, per susceptionem sacramentorum, dummodo non sit obex, id est virtualis aut actualis complacentia in peccato

veniali; quod quidem *certum est* de Baptismo, Pænitentiâ et Extremâ Unctione, quæ peccatorum remissionem ut effectum proprium habent; probabilius etiam de aliis asseritur, quæ ad sanctificationem animarum instituta sunt, ideoque ad fervorem caritatis fovendum, cui venialia peccata opponuntur. Sacramentalia autem, ut alibi diximus, venialia *indirecte* remittunt, contritionis et caritatis sensus in animâ excitando.

799. (D) Potest *unum* veniale peccatum *sine aliis* remitti, si quis videlicet vere de uno doleat, non autem de ceteris. Unde tunc solum plena obtinetur omnium venialium remissio cùm nullus retinetur affectus ad venialia. Ex dictis enim non remittitur peccatum veniale nisi virtualiter saltem retractetur, et aliunde unum retractari potest quin alia displiceant.

Conclusio Tractatûs.

800. 1° Christus vere instituit sacramentum Pænitentiæ Ecclesiæ tradendo *potestatem clavium* seu potestatem remittendi et retinendi peccata, simulque christiano peccatori *imponendo* officium sese submittendi huic potestati confessione gravium peccatorum, quam comitari debent contritio et votum satisfaciendi.

2° Sacramentum igitur Pænitentiæ ab initio vigebat, cum omnibus suis partibus *essentialibus*, sed modus idem ministrandi diversus fuit secundum diversa tempora.

3° Hodierna pænitentialis disciplina paulatim invaluit ex duplici præsertim causâ, nempe lucidiori intelligentiâ tum *divinæ misericordiæ erga peccatores*, tum *efficaciæ absolutionis*.

Scholion : comparatio instituitur inter virtutem et sacramentum Pænitentiæ.

801. Ex dictis inferri potest in quo *conveniant* et in quo *discrepent* virtus et sacramentum pænitentiæ : —

(A) *Ratione naturæ*. Virtus et sacramentum versantur circa unum idemque objectum, nempe *peccatum personale* quatenus *retractandum* et congruâ satisfactione *delendum*.

(a) In iisdem *actibus* consistunt, confessione, contritione et satisfactione, *diverso* tamen *modo* eliciendis. 1) Confessio, quam requirit *virtus*, est solummodo confessio *coram Deo*, ideoque mere interna esse potest; confessio, in *sacramento*, coram *sacerdote* fieri debet, ideoque aliquo visibili signo manifestari. 2) Contritio, in utroque casu, importat detestationem et dolorem peccati commissi, necnon

firmum propositum non peccandi de cetero; sed, in *sacramento*, aliquo signo sensibili manifestari debet, dum, in virtute, potest esse mere interna. Cum *sacramento* sufficit *attritio*, dum virtus sola non remittit peccatum mortale sine *contritione*. 3) Satisfactio, ut sit *sacramentalis*, ab ipso confessario determinari debet; extra sacramentum, ab ipso peccatore seligi potest, dummodo moraliter proportionetur peccato commisso.

(b) Sacramentum *plura* elementa complectitur quam virtus; nam, præter tres actus superius expositos, requirit *sacerdotis absolutionem*, quam regulariter præcedere debet integra *mortalium manifestatio* ministro facta. Aliunde tamen non tam perfecta contritio exigitur, quando recipitur absolutio.

(c) Virtus et sacramentum indefinite iterari possunt sive quoad eadem sive quoad diversa peccata.

803. (B) *Ratione effectûs.* (a) In utroque casu, effectus intentus idem est, nempe remissio peccati per infusionem gratiæ sanctificantis; itaque utrumque dici potest *secunda post naufragium tabula.* (b) Sed diversus est *modus operandi :* virtus est solum causa *disponens*, quæ non producit, sed impetrat remissionem peccati *ex opere operantis;* sacramentum est vere causa *efficiens*, licet secundaria et instrumentalis, in quantum, ex virtute passionis Christi, vere confert gratiam peccati remissivam *ex opere operato.*

(C) *Ratione necessitatis.* Utrumque necessarium est, posito peccato gravi, diversimode tamen. (a) Virtus necessaria est *necessitate medii*, et quidem jure *naturali*, non solum in voto, sed etiam *in re.* (b) Sacramentum, utpote positiva institutio, necessarium est quidem *necessitate præcepti divini*, immo, juxta quosdam, *necessitate medii*, sed solum *in voto;* qui igitur non potest *actu* recipere absolutionem, salvari potest per contritionem perfectam cum voto sacramenti.

(D) *Ratione subjecti.* Subjectum virtutis est quilibet peccator etiam *paganus;* dum subjectum sacramenti est solus peccator *baptizatus*, cùm baptismus sit janua omnium sacramentorum.

(E) *Ratione antiquitatis.* Virtus, quæ jure naturali requiritur, necessaria fuit omni tempore, statim ac peccatum aliquod mortale fuit commissum; sacramentum, utpote positive institutum, necessarium non fuit nisi tempore quo hujus necessitas fuit sufficienter promulgata.

Appendix.

DE INDULGENTIIS[1].

Cùm indulgentiæ sint unum e mediis quibus satisfieri possit pro pœnâ peccatis debitâ, de potestate eas concedendi pauca disseremus[2].

803. Notio. Indulgentia (*etymologice* indu-licentia, id est, condonatio) definitur : *remissio pœnæ temporalis peccato debitæ, coram Deo valida, per applicationem thesauri Ecclesiæ, a Superiore legitimo extra sacramentum facta.*

Non est igitur culpæ sive præteritæ sive futuræ remissio, ut falso asserunt Protestantes, sed tantum condonatio alicujus pœnæ temporalis : si *tota* pœna, quæ luenda manet, remittitur, indulgentia dicitur *plenaria;* si *pars* tantum, *partialis* vocatur. Quando conceduntur indulgentiæ quadraginta vel centum dierum, non significatur totidem Purgatorii dies tolli, sed tantum debitæ pœnæ condonari, quantum remissum fuisset per quadraginta vel centum dies pænitentiæ canonicæ, qualis primis Ecclesiæ sæculis vigebat. Mensura igitur remissionis nobis ignota manet, et maxime pendet a fervore quo conditiones ad lucrandas indulgentias necessariæ implentur.

Hæc autem condonatio fit eo sensu quod Ecclesia ex superabundantibus Christi Sanctorumque satisfactionibus aliquid depromit, quod Deo offert ad solvenda nostra debita, vi nempe supremæ jurisdictionis sibi a Christo concessæ. Hinc ii solum hanc auctoritatem exercere valent quibus Ecclesiæ thesaurus commissus est,

---

[1] S. Thom., *In IV Sent.*, dist. 20, q. 1, a. 3-5; dist. 45, q. 2, a. 3, sol. 2; **S. Bonaventura**, *In IV Sent.*, dist. 20, p. 2, q. 2-6; **Cajetanus**, *Opuscula, De indulgentiis;* **Bellarminus**, *De indulgentiis;* **E. Amort**, *De origine, progressu, valore ac fructu Indulgentiarum*, 1735; **Perrone**, *de Indulgentiis;* **Melata**, *De Indulgentiis*, Romæ, 1892; **T. L. Green**, *Indulgences, Sacramental Absolutions*, and *Tax Tables*, London, 1872 ; **Beringer**, *Dies Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch*, gallice redditum auctore *Mazoyer ;* **H. C. Lea***, *op. cit.*, t. III; **Boudinhon**, *Sur l'histoire des indulgences à propos d'un livre récent* (ubi *Lea* confutatur), in *Rev. d'Hist. et de Lit. relig.*, t. III, 1898; **N. Paulus**, in *Zeitschrift für Kathol. Theologie*, ab an. 1898 ad an. 1912; **P. Galtier**, S. J., v° *Indulgences*, in *Dict. Apologét.* (*d'Alès*), ubi breviter hæc varia opera contrahuntur; **J. Hilgers**, *Die katholische Lehre von den Ablässen und deren geschichtliche Entwicklung*, 1913.

[2] Inveniuntur quidem in nonnullis documentis verba : *indulgentia a culpâ et pœnâ;* quæ quidem æquivoca erant et ansam præbuerunt Protestantium impugnationibus. Meritò itaque *Codex*, c. 911 : "Omnes magni faciant indulgentias seu remissionem coram Deo *pœnæ temporalis* debitæ pro peccatis, ad culpam quod attinet jam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiæ concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii".

videlicet S. Pontifex vel Conc. generale pro universali Ecclesiâ, Cardinales in ecclesiâ sui tituli, et Episcopi pro suâ diœcesi.

Errores. Potestatem indulgentias concedendi negârunt *Waldenses*, *Wiclefistæ* et *Protestantes*, contendentes eam esse inutilem et perniciosam, licentiæ peccandi faventem.

804. *Thesis* : **Ecclesia potestate gaudet indulgentias concedendi, quarum usus christiano populo maxime salutaris est.** De fide est ex *Tridentino* [1] : " Cùm potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi traditâ, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit : Sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem et S. Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesiâ retinendum esse docet et præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesiâ potestatem esse negant ".

1° Potestas indulgentias concedendi *e tribus dogmatibus fluit*, per modum corollarii, nempe, ex *superabundantiâ satisfactionum* Christi, e *potestate clavium*, et ex *sanctorum communione*.

(A) *Christi satisfactiones*, utpote infiniti valoris, *superabundantes fuisse*, jam probavimus in *Tr. de Verbo Incarnato*, n. 1168 sq. Præterea, juxta communem doctrinam quam confirmârunt S. Pontifices [2], nonnulli inter Sanctos plura opera satisfactoria peregerunt quam ad satisfaciendum pro propriis peccatis necessaria erant : sic B. Virgo, quæ nunquam, ne venialiter quidem, peccavit, et aliunde multa patienter perpessa est. Ex omnibus his operibus satisfactoriis, in unione cum Christo peractis, ortus est veluti immensus satisfactionum thesaurus.

(B) Aliunde potestas clavium, cujus existentiam probavimus, n. 664, in suâ amplitudine complectitur facultatem non solum culpam, sed etiam *pœnam peccato annexam remittendi*, pænitentibus videlicet applicando quasdam e satisfactionibus Christi aut sanctorum, e supradicto thesauro deprومptas. Verba enim Domini sunt omnino generalia : " Quodcumque ligaveris... *quodcumque solveris* ".

[1] Decret. de Indulgentiis, Denz.-Bann., 989 (862).

[2] Inter quos Clemens VI, Extravag. *Unigenitus*, Denz.-Bann., 550-552.

(C) Tandem ratio adest cur satisfactiones Christi et Sanctorum pænitentibus applicentur, nempe *communio sanctorum*, quæ in eo consistit quod omnes fideles, sub Christo capite (*De Verbo incarnato*, n. 1194) unum corpus efformant, ita ut omnium justorum bona opera sint aliquo modo singulorum propria et in eorum utilitatem cedere possint[1]. Nil igitur prohibet quin satisfactiones superabundantes Christi et Sanctorum, accedente Dei auctoritate per Ecclesiam, aliis communicentur, ut sua debita spiritualia solvere possint; nam, ut ait *S. Thomas*[2], "ea quæ sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium ejus qui multitudini præest; unde sicut aliquis consequeretur remissionem pœnæ, si alius pro eo satisfecisset, ita si satisfactio alterius sibi, per eum qui potest, distribuatur".

805. 2° Thesis probatur ex *historiâ indulgentiarum*, in quâ tria stadia distinguuntur :

(A) In primâ epochâ, nempe a II° ad VI^{um} sæc., indulgentiarum concessio apparet sub formâ *mitigationis pœnitentiæ publicæ*. Aliquando enim aliquid de pænitentiâ canonicâ, auctoritate Ecclesiæ impositâ, remittebatur, præsertim *intuitu intercessionis martyrum*, aut in gratiam eorum qui *ferventem vitam* agebant, vel quoad *moribundos*, quo citius hi cælum ingredi possent : in his casibus condonabatur pars pænitentiæ canonicæ ideoque satisfactionis peccato debitæ. Ita *C. Nicænum I* (can. 12) : "Quotquot, metu et lacrymis atque pænitentiâ, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam, non simulatione, demonstrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent. Postmodum vero licebit Episcopo de his *aliquid humanius cogitare*".

(B) In secundâ periodo, a VII° ad XI^{um} sæc., conceduntur indulgentiæ quatenus pænitentia canonica *commutatur* in alia opera mitiora, v. g., in visitationes basilicarum, pias peregrinationes aliave opera quæ censebantur æquivalentia.

(C) In tertiâ ætate, a sæc. XI°, jam conceduntur *indulgentiæ proprie dictæ*, seu remissio totalis aut partialis pœnæ peccato debitæ, positis tamen quibusdam operibus a superiore ecclesiastico determinatis, quæ tamen pœnæ subeundæ non proportionantur; quod factum est præcipue ad promovendas *expeditiones in Terram sanctam*, aut ad debellandos *Albigenses* aliosve hæreticos. — Initio sæc. XIV[i] jubilæum institutum aut confirmatum est a *Bonifa-*

[1] Quod confirmat S. **Paulus**, *I Cor.*, XII, 12-26. — [2] *Suppl.*, q. 25, a. 1.

cio VIII° cum plenariâ indulgentiâ; mox statutum est ut jubilæum celebraretur quolibet quinquagesimo anno, incipiendo ab anno 1350, posteaque quolibet vigesimo quinto anno, incipiendo ab an. 1475. — Tandem jubilæa *extraordinaria* concessa fuere, et deinde indulgentiæ plenariæ aut partiales, etiam extra jubilæum.

Antiquissima igitur est hujusmodi praxis, si in suis essentialibus spectatur. Aliunde *salutaris* est, cùm peccatores ad pænitentiam, contritionem atque bona opera alliciat spe uberiorem condonationem pœnæ consequendi. Abusus quidem possunt aliquando irrepere; sed *Tridentinum* stricte prohibuit quidquid superstitioni aut socordiæ favere potest. Ergo legitimus indulgentiarum usus omnino retineri debet.

806. **Solvuntur diffic.** (a) Indulgentiarum concessio liberat hominem a debito satisfaciendi, proindeque sacramentum Pænitentiæ mutilat, quod satisfactionem aliquam involvit; ergo rejicienda est.

Resp. Nego suppositum, nam indulgentiæ prudenter concessæ non eximunt pænitentem a sacramentali vel extra-sacramentali satisfactione, sed sincere contritis conceduntur ut habeant ex quo promptius et efficacius satisfaciant. Nemo enim indulgentias lucrari valet nisi opera quædam præscripta peragat, et sincere pæniteat.

(b) *Instant :* Facilitas per aliquot preces vel opera pro omnibus peccatis satisfaciendi spiritualem socordiam generat, cùm nulla proportio sit inter opera præscripta et pœnam remissam.

Resp. Nego subsumptum : nam opera exteriora, quæ præscribuntur, licet in se levia sint, supponunt interiores dispositiones contritionis et firmi propositi, quæ socordiam excludunt; nam, ut ait *Cajetanus*[1], non prosunt indulgentiæ negligentibus satisfacere per se ipsos, quoniam indigni sunt indulgentiâ, sed illis quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata quod non retardat opus nisi impedita. Ita, v. g., plenariam indulgentiam non lucratur, nisi qui ab omni affectu ad venialia immunis est. His autem positis, facilitas operis injuncti est potius quædam quasi illecebra, quâ pænitentes ad perfectas dispositiones interiores comparandas inducuntur : et ita promovetur cordis contritio, orationis studium, sacramentorum frequentatio ac operum misericordiæ praxis.

[1] *De suscipient. indul.*, q. 1.

De Matrimonio

Auctores consulendi.

Inter **Patres** : *Sæc. II*, **Hermas**[1], *Pastor*, lib. II, mand. IV, c. 1 : **Athenagoras**[2], *Legatio pro christianis*, cap. 33; — *sæc. III*, **Clemens Alex.**,[3] *Stromata*, l. II, c. 23; **Tertullianus**[4], *Libri duo ad Uxorem; Liber de Monogamiâ;* — *sæc. IV*, **S. Joannes Chrysost.**, *Homil. III* de Legibus connubii, seu de Matrimonio[5]; *De virginitate; De non iterando conjugio;* — *sæc. V*, **S. Augustinus**, *De bono conjugali; De sanctâ virginitate; Libri duo de conjugiis adulterinis; De nuptiis et concupiscentiâ;* **S. Innocentius I**[7], *Ep.* 6 et 36; — *sæc. VIII*, **Theodorus Abucara**[8], *De unâ uxore ducendâ;* — *sæc. IX*, **Rabanus**, *De Consanguineorum nuptiis*[9].

Inter **Theologos** et **canonistas** : *sæc. XII*, **S. Anselmus**[10], *De nuptiis consanguineorum;* **Ernulfus**, *De incestis nuptiis*[11]; **Bernardus Papiens.**, *Summa de matrimonio;* **Rob. Flamesburiensis**, *Summa de matrimonio et usuris;* **Tancredi**, *Summa de matrimonio; sæc. XIII*, **S. Thomas Aq.**, O. P., *Supplem.*, q. 41-68, ejusque Commentatores; præterea *sæc. XV*, **S. Joannes de Capistrano**, *de Matrimonio; sæc. XVI*, **Franciscus de Victoria**, O. P., *De Matrimonio;* **P. de Ledesma**, O. P., *De magno Matrimonii sacram.*, Salmanticæ, 1592; *sæc. XVII*, **Sanchez**, S. J., *de S. Matrimonii sacram.*, Genuæ, 1602; **Bellarminus**, S. J., † 1621, *Controv.*, De sacram. matrimonii lib. unicus; **Pontius**, O. S. Aug., *de sacr. Matrimonii*, Salmanticæ, 1624; **Martinus Perez**, S. J., *De s. Matrimonii sacram.*, Lugduni, 1646; **Vincentius Tancredus**, S. J., *Libri 10 de s. Matrimonii sacram.*, Panormi, 1648; *sæc. XVIII*, **Joa. Kugler**, *Tr. theologico-canonicus de Matrimonio*, Norimbergæ, 1705; **Gibert**, *Tradition ou Histoire de l'Eglise sur le sacrement de Mariage*, Paris, 1755; **Benedictus XIV**, *de Synodo diœcesanâ; Quæstiones canonicæ et morales;* **J. Clément**, *Traité du Pouvoir de l'Eglise sur le Mariage des Catholiques*, Leodii, 1768; **B. Sattler**, S. J., *De bono conjugali et sanctitate cœlibatûs*, 1781; **Cuccagni**, *Del Matrimonio cristiano*, Romæ, 1791; **Barruel**, *Lettres sur le divorce*, Paris, 1789; **De Rastignac**, *Accord de la Révélation et de la Raison*, 1790; **Fr. Albertini**, O. P., *Diss. dell' Indissolubilità del Matrimonio*, Venetiis, 1792; *sæc. XIX*, **De Bonald**, *Du divorce considéré au*

---

[1] Funk, I, p. 474. — [2] *P. G.*, VI, 365. — [3] *P. G.*, VIII, 1085. — [4] *P. L.*, I, 1273; II, 929. — [5] *P. G.*, LI, 207. — [6] *P. L.*, XL, 373, 395, 451; XLIV, 415. — [7] *P. L.*, XX. — [8] *P. G.*, CXVII., 1555. — [9] *P. L.*, CX, 1087. — [10] *P. L.*, CLVIII, 557. — [11] *P. L.*, CLXIII, 1457.

XIXe s. 1801; **Gerdil**, *Tr. del Matrimonio*, ossia confutazione de' sistemi contrari all' autorità della Chiesa circa il Matrimonio, Romæ, 1803; **A. Muzzarelli**, S. J., *Del contratto del Matrimonio in quanto sacramento;* **Roskovany**, *De Matrimonio in Eccl. catholicâ*, Aug. Vind., 1837; *De Matrimoniis mixtis*, Pestini, 1870; **Carrière**, S. S., *Prælect. theol. majores*, De Matrimonio, Parisiis, 1837; *Compendium* ejusdem operis, 1859; **Martin**, S. J., *de Matrimonio et potestate ipsum dirimendi*, Lugduni, 1844; **Perrone**, S. J., *De Matrim. christiano libri tres*, Leod. 1862; ejusdem Compendium in *Prælectionibus;* **Palmieri**, S. J., *Tr. de Matrimonio christiano*, 1880; **Heis**, *de Matrimonio tractatus quinque*, usui venerabilis cleri Americani accommodati; **Haringer**, *Das heilige Sakrament der Ehe;* **Rive**, *Die Ehe*, in dogmatischer, moralischer und sozialer Beziehung; **Kutschker**, *Das Eherecht der kat. Kirche*, seine Theorie und Praxis, Wien, 1856; **Schneemann**, *Die Irrthümer über die Ehe*, Freib., 1856; **Weber**, *De Matrimonio*, 4.ed., Frib., 1886; **Gasparri**, *Tr. canonicus de Matrimonio*, Paris, 1890; **M. E. Philippe**, *Etude historique sur les origines et le développement du droit matrimonial de l'Eglise* (compendium operis **Freisen**); **M. Rosset**, *De sacramento Matrimonii*, tract. dogmaticus, moralis, canonicus, liturgicus et judiciarius, Paris, 1896; **Monsabré**, O. P., *Confér. sur le Mariage*, op. anglice redditum curâ *M. Hopper*, New-York, 1890; **Van Weddingen**, *L'Enclycl. de S. S. Léon XIII sur le Mariage*, Paris, 1891; **Vlaming**, *Prælectiones de Jure matrimonii*, 1898-1903; **Heiner**, *Grundriss des Katholischen Eherechts*, 1905; **Hergenröther-Hollweck**, *Lehrbuch des Katholischen Kirchenrechts*, 1905; **Card. Billot**, *De sacramentis*[4], t. II, 1908; **De Smet**, *De sponsalibus et matrimonio*[2], 1911; **Wernz**, *Jus Decretalium*, t. IV[2], 1912.

Inter **Protestantes** : **Schleiermacher**, *Predigten üb. d. christl. Hausstand;* **D. F. Stæudlin**, *Geschichte d. Vorstellungen u. Lehren v. d. Ehe*, 1826; **Rothe**, *Theol. Ethik*, 1867, IV, 4-125; **Martensen**, *Die Christl. Ethik*, 1878; **Oscar D. Watkins**, *Holy Matrimony*, London and New York, 1895; **H. M. Luckock**, *The history of Marriage*, New York, 1894; **Morgan Dix**, **Blunt**, *op. cit.;* **Lichtenberger**, *op. cit.*, t. 8, p. 691 ed. 1880; **Esmein**, *Le Mariage en Droit canonique*, Paris, 1891.

Inter **Græcos non unitos** : **Zhishman**, *D. Eherecht d. Orient. Kirche.*

Ex Decreto ad Armenos.

Septimum est sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem : "Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ". Causa efficiens Matrimonii, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas Matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiæ. Quamvis autem ex causâ fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cùm Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.

Tridentini Decreta et Canones de sacramento Matrimonii[1].

(*Sess. XXIV*)

Matrimonii *perpetuum indissolubilemque* nexum primus humani generis parens divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cùm dixit : " Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne meâ : quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ "[2].

Hoc autem vinculo *duos* tantummodo copulari et conjungi Christus Dominus apertius docuit, cùm postrema illa verba, tanquam a Deo prolata, referens dixit : " Itaque jam non sunt duo, sed una caro "; statimque ejusdem nexûs firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit : " Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet "[3].

Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, suâ nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus *innuit* dicens : " Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam; et seipsum tradidit pro eâ "; mox subjungens : " Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico, in Christo et in Ecclesiâ "[4].

Cùm igitur Matrimonium in Lege evangelicâ veteribus connubiis per Christum gratiâ præstet, merito inter novæ Legis sacramenta annumerandum, sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt : adversus quam impii homines hujus sæculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt, sed de more suo, prætextu Evangelii, libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiæ catholicæ sensu, et ab Apostolorum temporibus probatâ consuetudine aliena, scripto et verbo asseruerunt, non sine magnâ Christi fidelium jacturâ : quorum temeritati sancta et universalis Synodus cupiens occurrere, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio exterminandos duxit, hos in ipsos hæreticos eorumque errores decernens anathematismos.

Can. I. Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesiâ inventum, neque gratiam conferre; A. S.

---

[1] Ad meliorem horum Canonum intelligentiam, vide **A. Theiner**, *op. cit.*, t. II, p. 313 sq.

[2] *Gen.*, II, 23; *Ephes.*, V, 31. — [3] *Matt.*, XIX, 6. — [4] *Ephes.*, V, 25-32.

Can. 2. Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum; A. S.

Can. 3. Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus qui Levitico exprimuntur posse impedire Matrimonium contrahendum, et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere ut plures impediant et dirimant; A. S.

Can. 4. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; A. S.

Can. 5. Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum; A. S.

Can. 6. Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per sollemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; A. S.

Can. 7. Si quis dixerit, Ecclesiam errare cùm docuit et docet, juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; mœcharique eum qui, dimissâ adulterâ, aliam duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit; A. S.

Can. 8. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; A. S.

Can. 9. Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem sollemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiasticâ, vel voto; et oppositum nil aliud esse, quam damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Matrimonium qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum : anathema sit : cùm Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari.

Can. 10. Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cælibatûs, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quam jungi Matrimonio; A. S.

Can. 11. Si quis dixerit, prohibitionem sollemnitatis nuptiarum, certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones et alias ceremonias quibus Ecclesia in illis utitur damnaverit; A. S.

Can. 12. Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; A. S.

Prænotanda.

882. Sacramentum Matrimonii, sicut sacramentum Ordinis, ad bonum non solum individui, sed etiam *societatis* maxime confert. Sicut enim *Ordine* propagantur ministri Dei, qui spiritualem societatem regunt, ita *Matrimonio* sanctificatur unio viri et feminæ, ex quâ gignuntur cives qui utramque societatem efformant, civilem et ecclesiasticam.

Maximi igitur momenti est de sacramento agere quod ad familiarum societatumque felicitatem et prosperitatem valde conducit.

883. 1° **Varia matrimonii nomina.** Matrimonium (*matris munia*) ita appellatur, quia mater in prole suscipiendâ et educandâ majorem operam quam pater regulariter impendit, cùm infans matri "ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus fuisse noscatur"[1]. Vocatur etiam *conjugium* (*cum*, *jungere*), quia est veluti commune jugum, cui sponte se submittunt qui matrimonium contrahunt; *connubium*, seu *nuptiæ* (a *nubendo*, id est, velando), quia antiquitus sponsæ, quando viris tradebantur, caput velo, pudoris gratiâ, operiebant[2]; *consortium* (*cum*, *sors*), quod significatur arctissima corporum animorumque societas quâ vir et mulier connectuntur.

884. 2° **Matrimonii definitio**. Matrimonium ut contractus et ut sacramentum spectari potest.

(A) Matrimonium ut **contractus**, definiri potest : *conventio legitima inter virum et mulierem juridice habiles, mutuum et perpetuum jus ipsis conferens, tum ad actus ex se aptos ad generationem prolis, tum ad vitæ communis consortium.*

Dicitur : (a) *conventio legitima...*, id est, inita juxta leges sive naturales sive positivas, quibus matrimonium regitur; *inter personas juridice habiles*, id est, aptas ad talem contractum ineundum.

(b) *Mutuum et perpetuum jus ad actus...* quibus verbis declaratur *primarius finis* matrimonii, videlicet prolis *procreatio* ac consequenter *educatio*. Ad essentiam autem matrimonii non requiritur ut de facto filii gignantur, cum steriles legitime nubant; nec etiam usus matrimonii, cum B. Virgo et S. Joseph legitimo matrimonio conjuncti sint, licet juribus matrimonialibus nunquam usi fuerint; sed sufficit *jus* ad illos actus qui *ex se* apti sunt ad prolis generationem, licet per accidens aliquando generatio non sequatur, vel

[1] Gregor. IX, *Decretal.*, l. III, tit. 33, c. 2. — [2] *Gen.*, XXIV, 65.

conjuges jure suo non utantur. Illud autem jus est *mutuum*, ut patet, et *perpetuum*, ut sic excludatur vaga et fornicaria sexuum commixtio.

(c) *Ad vitæ communis consortium :* hic significatur *finis secundarius* matrimonii, mutuum juvamen quod ex utriusque amore et societate exsurgit, juxta illud Scripturæ [1] : "Non est bonum esse hominem solum ; faciamus ei adjutorium simile sibi". — Quapropter conjuges esse debent non solum *una caro*, ut prolem generent, sed etiam *cor unum* et *anima una*, ut sibi invicem adjutorium et solamen afferant.

(B) Matrimonium ut **sacramentum** nihil aliud est nisi ipse contractus ad dignitatem sacramenti evectus [2], et definiri solet : *sacramentum Novæ Legis, quo per consensum contrahentium legitime præstitum, gratia conjugibus confertur ad matrimonii officia rite adimplenda.* Definitio ex infra dicendis magis patebit.

885. 3° **Divisio Tractatûs.** Duo erunt capita : in primo, agemus de ipso *contractu* matrimonii ; in secundo, *de sacramento.*

- De matrimonio ut *contractu.*
  - Ejus natura
    - Consistit in contractu stabili.
    - Essentia contractûs in consensu consistit.
  - Ejus proprietates
    - unitas.
    - indissolubilitas.
  - Corollaria
    - Matrimonii honestas.
    - Virginitatis excellentia.
- De matrimonio ut *sacramento.*
  - Existentia.
  - Natura.
  - Effectus.
  - Potestas leges ferendi circa matrimonium.

[1] *Gen.*, II, 18.

[2] "Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos". (*Codex*, can. 1012).

Caput j.

DE MATRIMONIO UT CONTRACTU.

886. **Errores confutandi.** Pullulant hodie errores de matrimoniali contractu. (a) Multi, præsertim *evolutionistæ* et *materialistæ*, tenentes hominem a bruto descendere, contendunt *promiscuitatem* inter primos homines viguisse, sicut inter cetera animantia, ita ut viri indiscriminatim commiscerentur feminis feminæque viris, prout se dabat occasio; huic autem promiscuitati successisse *polygamiam* et *polyandriam*, et nonnisi post longa sæcula prævaluisse *monogamiam* [1]. (b) Quibus theoriis innixi, haud pauci hodierni, præsertim inter *socialistas*, favent *unioni liberæ* : juxta ipsos, præcipuus finis unionis inter virum et mulierem est mutua voluptas; ad hanc igitur unionem requiritur et sufficit mutuus amor : qui mutuo se amant, eo ipso jus habent simul cohabitandi; cessante amore, abrumpi debet unio. Proles vero, ex unione liberâ nata, curante Statu civili aletur atque educabitur, absque parentum interventu [2]. (c) Multi tamen, etiam inter evolutionistas, fatentur monogamiam esse perfectiorem ceteris matrimonialibus contractibus, ideoque retinendam, dummodo tamen facile admittatur *divortium*, et conjugibus ita separatis liceat novas nuptias ambire [3].

Contra quos errores catholicam doctrinam exponemus : 1° *de naturâ;* 2° de *proprietatibus* matrimonialis contractûs.

---

[1] **Lubbock**, *The origin of civilization:* **Morgan**, *Systems of consanguinity, affinity and of the human family;* **Mac Lennan**, *Studies in ancient history comprising a reprint of Primitive marriage*, London and New York, 1886; **Giraud-Teulon**, *Les origines du Mariage et de la famille*, Genève et Paris, 1884.

[2] **A. Bebel**, *La femme dans le passé, le présent et l'avenir* (trad. de l'allemand par *H. Ravé*), 1891; **B. Malon**, *Le socialisme intégral*, Paris, 1892, t. I, ch. 7; **G. Renard**, *Le régime socialiste*, 1898, p. 59; **Ch. Albert**, *L'amour libre*, Paris, 1900; aliique quos recenset **Turgeon**, *Le Féminisme français*, Paris, 1902, t. II, p. 259-288.

[3] Ita, inter alios, *Naquet, Dumas, Paul* et *Victor Margueritte*, aliique infra recensiti ubi de divortio.

Art. I. De naturâ matrimonialis contractûs.

Ad naturam hujus contractûs perpendendam, duo ostendemus : 1° matrimonium consistere in *contractu stabili;* 2° essentiam hujus contractûs in *consensu* reponendam esse.

§ I. De stabilitate matrimonialis contractus.

887. *Thesis :* **Jure naturali et divino, matrimonium non in unione liberà et revocabili consistere debet, sed in unione ita stabili ut sit ad constituendam familiam apta.** Certum est contra *socialistas* et alios liberæ unionis patronos [1].

Cùm nostra thesis ab iis impugnetur qui revelationis auctoritatem rejiciunt, *historicis* et *philosophicis* primum utemur argumentis, quibus via parabitur argumentis *theologicis*.

888. 1° **Argumenta historica.** Contendunt adversarii unionem sexuum antiquitus fuisse *liberam et promiscuam* [2], ideoque hodiernum modum contrahendi matrimonium, utpote moribus et lege civili tantum inductum, abolendum esse.

Arguunt : (A) ex *evolutionis* legibus : supponunt hominem e bruto descendere, et exinde inferunt primos homines a brutorum moribus non fuisse alienos, inter quæ viget unio promiscua, non autem stabilis; (B) ex *præsenti statu incultarum tribuum* quæ, inquiunt, primitivorum hominum mores retinent; apud eas enim, aiunt, viget : (a) sexuum *promiscuitas;* (b) aut saltem ejusdem vestigia manent, qualia sunt : praxis genealogiam filiorum non ex patribus, sed e matribus trahendi; *matriarchatus* seu status in quo mater principali auctoritate gaudet in familiâ; *polyandria* et *polygamia* seu unio plurium simul virorum cum unâ muliere aut vice versâ; (C) ex quibusdam *factis antiquis*, quæ videntur esse vestigia primitivæ promiscuitatis, prout erant *sacra prostitutio*, quæ in quibusdam templis florebat, necnon *jus primæ noctis* vel praxis *hospitibus* tradendi propriam uxorem.

889. *Respondemus :* (A) *Evolutio*, ad quam provocant adversarii, non est factum, sed *hypothesis* quam præstantis-

---

[1] Cfr. **Card. Billot,** *De Sacramentis*, t. II, th. 33.

[2] Quorum argumenta recenset et confutat **G. Fonsegrive**, *Mariage et Union libre*, Paris, 1904.

simi *transformistæ* fatentur minime probatam esse, præsertim si de hominis origine agitur, ut dictum est in *Tr. de Deo Creante*, n. 838-839. Inter *evolutionistas* vero, eruditissimi dicunt primos homines non fuisse promiscuitati addictos idque probant ex ipsis *legibus evolutionis*. Nam, teste *Darwin* [1], simii, ex quibus multi evolutionistæ asserunt hominem oriri, promiscuitati non indulgent, sed quidam sunt monogami, alii vero polygami. Siquidem inter eos, sicut inter homines, maxima viget quoad feminas zelotypia, et mares maximo zelo contra alios pugnant ut exclusive possideant feminas quas sibi conjunxerunt. Si igitur inter primos homines viguisset sexuum promiscuitas, hi fuissent ipsis simiis inferiores, neque esset ascensio et profectus, sed potius regressus : quod sane legibus evolutionis aperte contradicit.

890. (B) *De moribus autem incultarum gentium*, si testimonia perpenduntur eorum qui *diu*, et non paucis tantum mensibus, inter eos vixerunt, hæc notatu digna sunt : (a) *promiscuitas* non existit apud incultas tribus nisi *rarissime*, et quidem præsertim ubi perditissimi viri ex Europâ morum corruptionem intulerunt; fere ubique familia habetur ut fundamentum societatis et præsidium tribûs : quapropter, etiam ubi divortium et polygamia permittuntur, contractus matrimonialis *ex se* stabilis initur; (b) pariter *exogamia* seu praxis extra familiam et tribum quærendi uxorem [2], usus comparandi uxorem aut dotem ei assignandi ostendunt voluntatem familiam stabilem constituendi; (c) strictis legibus providetur castitati puellarum et uxorum [3] : in pluribus regionibus remotissima domûs cubicula inhabitant, ne ab alienis aspiciantur; alibi earum facies mutilationibus deturpatur ne aliis viris placeant; plerumque puellæ a viris seclusæ manent usque ad nuptias; quæ ante matrimonium seducuntur harumque corruptores

[1] **Darwin**, *Descent of man*, P. II, ch. 19; *gallice* La Descendance de l'homme, Paris, 1893, t. II, p. 392. Cfr. **Letourneau**, *Evolution du mariage et de la famille*, Paris, 1888, ch. 3; **Westermark**, *Origine du mariage dans l'espèce humaine*, Paris, Guillaumin, 1895, ch. 5-6; **G. Fonsegrive**, *op. cit.*, p. 19-29.

[2] Cfr. **Mgr A. Le Roy**, *La Religion des primitifs*, Paris, 1911, p. 106-109.

[3] **Fonsegrive**, *op. cit.*, p. 21-29.

severis pœnis plectuntur; adulteria autem omnino reprobantur et stricte puniuntur; quæ quidem omnia multum sane a promiscuitate et unione liberâ aliena sunt.

891. (C) *Facta ab adversariis allegata* non necessario promiscuitatem supponunt.

(a) Dicunt quidem apud multas tribus genealogias filiorum non ex viris, sed ex mulieribus deductas fuisse, et *matriarchatum* in usu fuisse. — Factum hujusmodi non fuit universale, sed solum apud quasdam tribus viguit; sat facile explicatur ex eo quod, apud illas gentes, vir per longum tempus absens erat, venandi, piscandi aut bellandi causâ; quapropter infantes, quorum aliquando pater incertus erat, et qui ceteroquin cum matre diutius quam cum patre cohabitabant, maternum nomen accipere solebant. Sed exinde minime sequitur promiscuitatem aut unionem liberam in usu communi fuisse.

(b) *Sacra prostitutio*, quæ in quibusdam templis florebat, necnon *jus primæ noctis*, aut praxis hospitibus tradendi propriam uxorem, aliaque ejusmodi, sunt *abusus*, qui ex innatâ libidine falsoque hospitalitatis conceptu oriuntur, sed dici nequeunt vestigia pristinæ promiscuitatis.

(c) Pauca vero facta *polyandriæ* aut *promiscuitatis*, quæ apud quasdam tribus allegantur, per modum exceptionis se habent, et generalem regulam stabilis matrimonii non infirmant [1] : polyandria habita est ubi feminæ numero pauciores erant quam viri; promiscuitas, ubi exstitit, satis facile explicatur ex quâdam morum corruptione quin necesse sit supponere primos homines huic vitio addictos esse.

892. (D) Ex adverso autem, ex *historiâ antiquorum populorum* constat quamdam *stabilem unionem* inter conjuges antiquitus prævaluisse.

(a) Vetustissimus legum codex, an. circiter 2200 ante Christum ab *Hammourabi*, Babyloniæ rege, conditus, non solum promiscuitatem excludit, sed etiam supponit monogamiam jam prævalere. Contractus matrimonialis *publice* iniri debet; non potest vir concubinam accipere, nisi uxor ejus sit infirma aut sterilis : tunc accedit ad servam quam uxor sibi substituit; si serva sit pariter sterilis,

[1] Quod testatur **Westermarck**, ceteroquin evolutionista, *op. cit.*, ch. 6, p. 128-129 : "Il n'est naturellement pas impossible que, chez quelques peuples, les rapports des sexes aient approché de la promiscuité. Mais il n'y a pas un atome de preuves que la promiscuité ait jamais été une phase générale de l'histoire sociale de l'humanité. L'hypothèse de la promiscuité, au lieu d'appartenir, comme le pense Giraud-Teulon, à la classe des hypothèses que la science peut se permettre, n'a aucun fondement réel, aucun caractère scientifique".

aliam uxorem ducere potest. Divortium quidem permittitur, ad nutum viri : sed si hic uxorem dimittat absque sufficienti ratione, ipsi dotem restituere debet, immo quandoque quamdam compensationem ei præbere. Adulterium, incestus, stuprum stricte sub gravibus pœnis prohibentur[1].

(b) Apud *Ægyptios*, etsi polygamia et divortium sub aliquot restrictionibus permittebantur, generatim consuetudo prævalebat unicam uxorem ducendi, ut tradit *Herodotus;* ceteroquin unio libera minime agnoscebatur, sed adulterium lege civili stricte prohibebatur[2].

(c) Apud *Indos*, quindecim sæculis ante Christum, unica ducebatur legitima uxor, quæ nunquam dimitti poterat, plures tamen permittebantur concubinæ. Promiscuitas vero minime admittebatur; nam adulterium habebatur tamquam unum e tribus majoribus peccatis. Postea tamen viris licentia data fuit dimittendi uxorem, si hæc sterilis esset aut filias tantum peperisset, aut defectibus laboraret quos vir tolerare nequibat[3]. (d) In *Sinensi* imperio, juxta legem Confucii, una tantum accipi debet legitima uxor; divortium quidem permittitur viro, sed solum ob gravem causam a lege determinatam. (e) Apud *Græcos Romanosque*, non obstante divortio, prævalet monogamia, et adulterium etiam viri ut aliquid indecorum et turpe existimatur; spurii non sunt familiæ membra, nec in cultu domestico partem habere possunt. Attamen concubinatus sub quibusdam conditionibus lege permittitur[4]. Quam honorabile haberetur matrimonium apud Romanos, constat ex modo quo apud veteres jurisperitos definitur[5] : "Consortium omnis vitæ, individua vitæ consuetudo, divini et humani juris communicatio".

Ex his testimoniis aliisque permultis quæ adduci possent, luculenter constat apud antiquas gentes non prævaluisse sexuum promiscuitatem nec unionem liberam, sed eam viri et mulieris unionem quæ ad familiam constituendam apta est.

893. 2° **Argumenta philosophica.** Ex ipsis matrimonii finibus logice infertur matrimonium aliquam stabilitatem postulare.

---

[1] *Mémoires publiés sous la direction de M. de Morgan*, t. IV, Textes élamites-sémitiques, 2e série, par le **P. Scheil**, Paris, Leroux, 1902, p. 145-150.

[2] **J. G. Wilkinson**, *A popular account of the ancient Egyptians*, London, 1854, t. II, p. 224; **Maspero**, *Histoire ancienne des peuples d'Orient*, éd. in-4°, Paris, 1897, t. II, p. 502-503.

[3] **La Mazelière**, *Essai sur l'évolution de la civilisation indienne*, Paris, Plon, 1902, t. I, Introd.; t. II, pp. 15, 306, etc.

[4] **F. de Coulanges**, *La Cité antique*, l. II, ch. 2-3; **Denis**, *Histoire des théories morales dans l'antiquité*, Paris, 1856, t. I, p. 69-73. — Spartæ, juxta Lycurgi leges, eadem mulier a pluribus fratribus possideri poterat; Cfr. **Fonsegrive**, *op. cit.*, p. 56. — [5] *Digest.*, XXII, 2 (*Modestin.*)

(A) *Primarius* matrimonii finis est *prolis procreatio* et *educatio :* ad hoc enim instituta est sexuum diversitas et societas conjugalis ut propagaretur genus humanum, prout ipsa natura indicat; aliunde, conceptâ prole, jure naturæ officium conjugibus incumbit filios recte educandi, eis præbendo non solum victum, sed etiam cibum intellectualem et moralem, quem juniores propriis viribus nonnisi ægre et post longum tempus sibi comparare possent. Atqui ad utrumque requiritur *stabilis* parentum unio [1], nec sufficit unio promiscua aut etiam libera. Nam : (a) quoad prolis *generationem*, experientiâ constat feminas, quæ pluribus viris commiscentur, raro concipere; atqui unio *libera* et ad *nutum rescindibilis*, datâ mutabilitate humanæ voluntatis, sæpe aliquam promiscuitatem inducet ac voluntariam sterilitatem : tunc enim voluptas potiusquam proles quæritur. (b) Majorem adhuc stabilitatem requirit prolis *recta educatio :* 1) educatio *physica :* nam ultimis mensibus prægnationis, tempore partûs et lactationis, femina concursu maris indiget ad suis et prolis necessitatibus providendum; 2) educatio *intellectualis* et *moralis*, ad quam puer indiget non tantum *suæ matris* amore suavi sed etiam *sui patris* gravi auctoritate et prudentiâ.

[1] Quod lucide exponit S. Thomas, *Contra Gentiles*, lib. III, c. 122, ubi ostendit, ex comparatione inter bruta et hominem, matrimonium inter homines stabile esse debere. Animadvertit siquidem animalia simul commanere quousque necessarium est ad prolis educationem et instructionem, sicut patet in quibusdam avibus, quarum pulli non statim postquam nati sunt possunt sibi cibum quærere. " Manifestum est autem, inquit, quod in specie humanâ, femina minime sufficeret ad prolis educationem, cùm necessitas humanæ vitæ multa requirat, quæ per unum solum parari non possunt... Rursus considerandum est quod, in specie humanâ, proles non indiget solâ nutritione quantum ad corpus, ut in animalibus, sed etiam instructione quantum ad animam; nam alia animalia naturaliter habent suas prudentias quibus sibi providere possint; homo autem ratione vivit, quem per longi temporis experimentum ad prudentiam pervenire oportet : unde necesse est ut filii a parentibus quasi jam expertis instruantur, nec hujus instructionis sunt capaces mox geniti, sed post longum tempus, et præcipue cùm ad annos discretionis pervenerint. Ad hanc etiam instructionem longum tempus requiritur; et tunc etiam propter impetus passionum, quibus corrumpitur æstimatio prudentiæ, indigent non solum instructione, sed etiam repressione. Ad hoc autem mulier sola non sufficit, sed magis in hoc requiritur opus maris, in quo est et ratio perfectior ad instruendum, et virtus potentior ad castigandum. Oportet igitur in specie humanâ non parvum tempus assistere promotioni prolis, sicut in avibus, sed per magnum spatium vitæ ".

894. *Objiciunt* quidem *Socialistæ* munus parvulos educandi incumbere Statui qui omnes infantes colliget et educandos nutricibus tradet.

Resp. Ipsa natura manifeste ostendit physicæ ac moralis educationis opus ab *ipsis parentibus* primario peragendum esse, in quantum fieri potest. (a) Revera natura matri *ubera* dedit ad lactandos filios, patri vires ad victum aliaque vitæ necessaria quærenda; utrique parenti *amorem* simul tenerum ac generosum, vi cujus non solum sua, sed etiam seipsos et propriam vitam pro salute prolis libenter tradunt : parentes enim filios suos merito considerant tanquam *suî extensionem.* (b) Idem dici potest de educatione *morali :* parentibus enim inditus est quidam naturalis instinctus et amor, vi cujus natorum *suorum* mentem introspicere eorumque propensiones detegere et in bonum dirigere valent; aliunde nativâ quâdam inclinatione infantes *suorum* parentum mandatis et consiliis libentius obediunt quam extraneorum. Officium igitur filios educandi primario parentibus incumbit, et ex ipso generationis actu naturaliter dimanat, ideoque unionem ex se stabilem supponit.

895. (B) *Secundarius* finis matrimonii est *mutuum conjugum adjutorium* et *concupiscentiæ remedium.* (a) Naturali quodam instinctu vir et mulier speciali amoris vinculo sibi invicem conjungi expetunt, " ut alter alterius ope adjutus vitæ incommoda facilius ferre et senectutis imbecillitatem sustentare queat " [1]. Ratio est quia vir et femina *se invicem complent* non solum in ordine ad generationem prolis, sed etiam quoad *mutuum juvamen et solatium :* dotes unius sunt veluti complementum alterius qualitatum; vir itaque naturali quodam instinctu societatem quærit mulieris, quæ et ipsa viri societate delectatur. Atqui hoc mutuum juvamen sibi præbere non possunt nisi contractu *ex se stabili* familiam constituere valeant, familiæque legitima gaudia percipere; si enim unio est libera et ad nutum revocabilis, conjuges merito timent ne mox abrumpatur, simulque amittatur felicitas quæ ex intimâ unione sive conjugum inter se sive parentum et filiorum oriebatur.

896. (b) Alius *secundarius* matrimonii finis est *concupiscentiam sedare* et *refrænare.* In statu naturæ lapsæ, sæpe exardescit concupiscentia, et nonnisi ægre inter limites continetur quos exigunt tum sanitas corporis tum morum

---

[1] *Catech. Rom.*, De sacram. matrim., n. 12.

honestas. Jamvero *matrimonium stabile* compescit et refrænat concupiscentiam intra limites honestatis. Ex unâ parte, per legitimum matrimonii usum sedatur concupiscentiæ ardor; et ex alterâ, copula non habetur nisi cum personâ in cujus corpus legitima potestas tradita fuit, cui fides in conjugio debetur, et quidem eo modo qui aptus sit ad prolem procreandam. — Si vero admittitur *unio libera* ad nutum revocabilis, concupiscentia, nedum temperetur, haud parum augetur spe novas uniones ineundi novasque voluptates experiendi, cum maximo corporis animæque detrimento.

Inspectis igitur finibus matrimonii sive primario sive secundariis, patet unionem conjugalem non promiscuam aut liberam esse debere, sed eâ stabilitate gaudere quæ ad familiam constituendam requiritur.

897. 3° **Argumentis theologicis** confirmatur. (**a**) Deus, primo homine creato, videns bonum non esse hominem manere solum, fecit ei adjutorium simile sibi. Tulit igitur unam de costis Adami dormientis, eamque in mulierem ædificavit et adduxit ad Adam. Qui dixit : " Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne meâ ; hæc vocabitur virago quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne unâ " [1]. Ibi enim quinque præsertim declarantur : 1) mulieris *formatio a Deo facta*, ut hæc fieret primi hominis socia et adjutorium ipsi simile; 2) *unio intima* quæ inter virum et mulierem existere debet tum ad generationem prolis tum ad vitæ consortium ; 3) quædam tamen *mulieris a viro dependentia*, quia hæc de viro sumpta est; 4) *unitas* vinculi matrimonialis : erunt enim *duo* in carne *unâ;* 5) ejusdem *stabilitas :* relinquet homo patrem suum et matrem et adhærebit uxori suæ. Merito itaque ait *Leo XIII* [2] : " Illa viri et mulieris conjunctio, quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas præ se tulit proprietates, nimirum *unitatem* et *perpetuitatem* ".

[1] *Gen.*, II, 18-24. — [2] Encycl. *Arcanum*.

(b) Fatemur equidem hanc excellentem conjugii formam apud ipsos Judæos adulteratam fuisse, præcipue per polygamiam et divortium. Attamen unio conjugum, etiam quando plures permittebantur uxores, ad filios procreandos et familiam constituendam primario ordinabatur, ut constat ex totâ historiâ populi israelitici, apud quem familiæ stabiles tutissimum nationis præsidium habebantur. Insuper uniones vagæ et liberæ stricte prohibebantur; ita morte puniebantur puellæ quæ, nuptiarum tempore, suam virginitatem amisisse deprehendebantur, necnon ii qui adulterium committebant [1].

(c) *Christus* autem matrimonium christianum ad pristinam *unitatem* et *indissolubilitatem* revocavit; interrogatus enim num liceret uxorem repudiare, respondit id non licere, quia Deus ab initio dixit : " Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et *adhærebit uxori suæ*, et erunt *duo* in carne *unâ*. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit homo non separet " [2]. Quod et tradit *S. Paulus*, asserens adulteram esse mulierem quæ, vivente viro, fuerit cum alio viro [3], unitatem matrimonii ita declarans [4] : " Unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat ". Jamvero unitas et indissolubilitas matrimonialis contractûs uniones vagas et liberas omnino excludunt.

(d) Hanc Magistri doctrinam Ecclesia non tantum retinuit, sed etiam totis viribus in praxim adducere sategit, indesinenter docens nuptias ineundas esse non libidinis causâ, sed ad filios procreandos et christiane educandos, necnon ad mutuum juvamen et solatium. Quod, inter alios, *S. Augustinus* declarat, de uxoribus scribens [5] : " Ad hoc enim nuptæ sunt, ut illa concupiscentia redacta ad legitimum vinculum, non deformis et dissoluta fluitaret, habens de se ipsâ irrefrenabilem carnis infirmitatem, de nuptiis autem indissolubilem fidei societatem; de se ipsâ progressum immoderate coeundi, de nuptiis modum caste procreandi ". — Quam strenue vero Ecclesia contra regum ac populorum libidinem dimicaverit ad sanctitatem et perpetuitatem vinculi matrimonialis tuendam, infra exponemus, n. 926 sq.

[1] *Deut.*, XXII, 20-22. — [2] *Matth.*, XIX, 4-6.
[3] *Rom.*, VII. 3.
[4] *I Cor.*, VII, 2. — Quod fusius infra probatur, nn. 709, 716 sq.
[5] *De bono conjugali*, cap. 5, *P. L.*, XL, 377.

Conclusio. Legi naturali simul et divinæ adversantur *fornicatio* et *unio libera* et *temporaria*, quippe quæ non solum lege divinâ prohibeantur, sed etiam essentialibus matrimonii finibus opponantur, ut constat ex dictis, n. 893 sq.

§ II. DE ESSENTIA CONTRACTUS MATRIMONIALIS [1].

898. 1° **Status quæstionis.** Ex dictis jam inferre licet essentiam matrimonii, ut *contractûs*, consistere in *consensu mutuo*, quo vir et mulier, ceteroquin ad matrimonium *habiles*, sibi invicem tradunt *de præsenti* [2] *jus* stabile in corpus proprium ad prolem generandam, et ad vitæ communis consortium.

Quidam tamen auctores antiqui docuerunt non solum consensum sufficere, sed *copulam* necessariam esse ad *perfectum* matrimonium constituendum : "Sciendum est, ait *Gratianus* [3], quod conjugium in desponsatione initiatur, commixtione perficitur. Unde inter sponsum et sponsam conjugium est, sed *initiatum*, inter copulatos est conjugium *ratum*". Pauci commentatores Gratiani longius processerunt, docendo copulam requiri ad *essentiam* matrimonii. Hanc opinionem renovavit *Freisen*, scribendo contractum matrimonialem nihil aliud esse nisi promissionem futuræ copulæ, ideoque a sponsalibus non differre; matrimonium autem proprie dictum fieri per copulam affectu maritali habitam [4]. — Verum est quidem matrimonium simpliciter ratum non esse tam perfecte indissolubile quam matrimonium consummatum, ut infra dicetur; est tamen verum et proprie dictum matrimonium, ut fert communis et certa sententia.

899. 2° *Thesis* : **Matrimonium essentialiter consistit in consensu de præsenti quo traditur jus ad copulam, non autem in ipsâ copulâ.** Certum est.

(A) Id enim sæpe docent *Patres*, dum scribunt Mariam et Joseph fuisse *vere conjuges*, etsi nunquam usi fuerint

[1] **S. Thom.**, *Supplem.*, q. 45-48; **Sanchez**, lib. II-V; **Salmantic.**, cap. 6-7; **Billuart.**, diss. III, a. 1-5; **S. Alphons.**, n. 885-896; **Carrière**, n. 455-505; **Gasparri**, n. 770-870; **Rosset**, t. I, n. 88-237; **Pesch**, n. 731-752; **Billot**, th. 34-35; **Ball. P.**, n. 262-305 (ed. 3ª); **Wernz**, S. J., *Jus Decretal.*, t. IV, Jus Matrimoniale [2], Romæ, 1912, n. 45-47, et n. 291-306.

[2] Dicitur *de præsenti*, quia consensus *de futuro* sufficit quidem ad *sponsalia*, non autem ad matrimonium.

[3] Dictum in Caus. 27, q. 2, c. 34; cfr. c. 45. — Ibi vox *ratum* ex contextu significare videtur matrimonium quod nullo modo dissolvi potest.

[4] *Archiv für kathol. Kirchenrecht*, LIV, 1885, p. 361 sq. — Quem tamen errorem postea retractavit in eodem periodico, LXVII, 1892, p. 381 sq.

matrimonio : ita, v. g., *Origenes*, *S. Basilius*, *S. Ambrosius*, *S. Hieronymus*, *S. Augustinus* [1].

Hunc audire sufficiat, qui aliorum contrahit doctrinam : " Quibus vero placuerit ex consensu, ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; immo firmius erit quo magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiusque servanda sunt, non voluptuariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab angelo dictum est ad Joseph : "*Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*". Conjux vocatur ex primâ fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus ; nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio ".

(B) Idem diserte docent Pontifices et Concilia, dum statuunt matrimonium libero contrahentium consensu perfici. Ita *Nicolaus I* [2] : " Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus si in nuptiis solus forte defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur, Joanne Chrysostomo magno Doctore testante, qui ait : *matrimonium non facit coitus, sed voluntas*". Ad rem *Tridentinum* [3] : " Dubitandum non est clandestina matrimonia *libero contrahentium consensu* facta, rata et vera esse matrimonia ". Postea declarat matrimonium *ratum*, non consummatum, per sollemnem religionis professionem dirimi; jamvero non dirimitur contractus, nisi jam existat. Hinc *Benedictus XIV* ait : " Qui affirmant B. Virginis matrimonium cum S. Joseph in solis sponsalibus constitisse, ii *temere falsoque* opinantur. Itaque pro certo tenendum est matrimonium inter eos contractum fuisse verum et ratum " [4].

---

[1] **Origenes**, *homil.* VI in Luc., *P. G.*, t. XIII, p. 1814 sq.; **S. Basilius**, *De sanctâ Christi generatione*, n. 3-5, *P. G.*, t. XXXI, p. 1463-1467; **S. Ambrosius**, *De instit. virg.*, c. 6, n. 42, *P. L.*, t. XVI, p. 316; **S. Hieron.**, *Contra Helvid.*, n. 4, *P. L.*, t. XXIII, p. 185; **S. August.**, *De nuptiis et concup.*, l. I, n. 12, *P. L.*, t. XLIV, p. 420.

[2] Ap. **Mansi**, *Concilia*, t. XV, p. 403.

[3] Sess. XXIV, de Reformat. matrim., c. 1.

[4] *De Synodo diœces.*, l. XIII, c. 32, n. 13.

(C) *Ratio* cur contractus matrimonialis non consistat directe in usu seu copulâ, sed in *consensu* quo traditur *jus* ad copulam, exponit *S. Thomas :* " Unus non accipit potestatem in eo quod est libere alterius nisi per ejus consensum. Sed per matrimonium accipit uterque conjugum potestatem in corpus alterius... cùm prius uterque liberam potestatem sui corporis haberet. Ergo consensus facit matrimonium ".

900. 3° **Corollaria.** (a) Matrimonium est impossibile inter personas quæ non sunt aptæ ad generandum, ut eunuchi [1], quippe quæ tradere non valeant *jus* ad copulam.

(b) Illicitum, immo et nullum est matrimonium in quo *positive* excluderetur a contrahentibus finis primarius matrimonii, nempe *jus* ad actus de se aptos ad generationem : fines enim secundarii ad finem principalem referri debent, ita ut hoc *voluntate* excluso, jam non habeatur verum matrimonium.

(c) Licitum est et validum, etsi minus perfectum, matrimonium contrahere eo solo fine explicito, non exclusivo tamen, ut pauperies amoveatur, adjutorium et solamen inveniantur, passiones quiescant, licita delectatio habeatur. Eo ipso enim quod non excludatur ab intentione opus generationis, implicite intenditur, et finis proprius matrimonii salvatur.

Art. II. De proprietatibus matrimonii.

Matrimonium, prout a Deo fuit institutum et apud Christianos viget, duabus fulget proprietatibus, *unitate* et *indissolubilitate*, de quibus seorsim dicemus.

§ I. De matrimonii unitate.

901. **Prænotanda.** Unitas matrimonii consistit in conjugali unione unius viri cum unâ muliere. Huic opponuntur *polyandria* et *polygamia simplex.* Prior est conjunctio unius uxoris cum pluribus viris; posterior est conjunctio unius viri cum pluribus uxoribus.

Pauca præmittimus de *polyandriâ*, quæ raro admodum existit [2]. *Polyandria simultanea*, seu conjugalis unio unius

[1] **Sixtus V**, Constit. *Cum frequenter*, 22 junii 1587.

[2] Quædam polyandria viguit et adhuc viget apud quasdam tribus, præsertim ubi pauciores sunt feminæ quam viri. Aliquando res ita se habebat : quando femina duxerat primogenitum, ejus minores fratres ad eam successive accede-

uxoris cum pluribus viris simul, juxta omnes, juri naturali saltem *secundario* repugnat. Licet enim stricte loquendo absolute impossibilem non reddat procreationem et educationem prolis, adversatur tamen præcipuis matrimonii finibus : (a) *procreationi* prolis, nam mulieris fecunditas, licet per carnale commercium cum pluribus viris non omnino destruatur, maxime tamen minuitur; (b) *educationi* prolis, quia incertum reddit patrem, proindeque incertam ejus obligationem filios educandi; (c) *subjectioni* naturali quâ mulier viro subdi debet; nemo enim potest perfecte pluribus simul dominis servire [1]. — Nunc fusius de *polygamiâ*.

I. De polygamiâ simultaneâ [2].

902. **Status quæstionis.** Polygamia, ante Christum, apud plerosque populos vigebat, etsi non omnes viri essent polygami. Hodie etiam apud Infideles prævalet, præsertim inter ditiores qui plures mulieres alere possunt. Sed apud Christianas gentes *monogamia* tanquam familiæ fundamentum agnoscitur.

Attamen *Lutherus* docuit simultaneam polygamiam, etiam sub N. Lege, licitam esse, et, asssentientibus P. Melanchtone et M. Bucero, Philippo Hessiæ Landgravio benigne indulsit ut, vivente adhuc legitimâ uxore, aliam duceret, Margaritam de Saal. Eumdem errorem propugnârunt *Anabaptistæ*, nostroque sæculo *Mormones* [3], qui novissime tamen declarârunt se polygamiæ valedixisse, ut sic Statûs legibus sese submitterent. — Ex adverso autem *Calvinus* contendebat simultaneam polygamiam, etiam sub V. Testamento, illicitam fuisse, ideoque veteres Patriarchas, qui plures

bant, juxta quasdam præfinitas regulas et consuetudines; quandoque autem duo aut tres viri eamdem uxorem ducebant, simulque in eâdem domo convivebant. Sed hujusmodi facta raro occurrunt, et inter maritos generatim unus est principalis, qui toti domui præest. Sed etiam apud illas tribus, plerumque prævalet monogamia. — De extensione et causis polyandriæ erudite disserit **Westermarck**, *op. cit.*, ch. 20-22, p. 425-485.

[1] S. Thom., *Supplem.*, q. 65, a. 1, ad 8.

[2] S. Thom., *Supp.*, q. 65, a. 1-2; **Bellarm.**, c. 10-11; **Drouin**, l. IX, q. III, c. 1; **Billuart**, diss. V, a. 1; **Perrone**, l. III, c. 1, a. 2-4; **Carrière**, p. II, sect. 2, c. 1; **de Augustinis**, a. 7; **Palmieri**, th. 13 sq.; **Billot**, th. 40; **Watkins**, *Holy Matrim.*, ch. IX, p. 591 sq.

[3] De *Mormonibus*, qui se ipsos vocant "The Church of Jesus Christ of Latter-Day Saints" vide *Book of Doctrine and Covenant* (1880), *Book of Mormons* (1881); *Encyclop. Britan.* with American Supplement; **W. R. Harris**, *Mormons*, in *Cathol. Encycl.*, New-York, t. X, p. 570-574.

simul uxores habebant, adulterii reos fuisse. Quam ut confutarent calumniam, nonnulli theologi dixerunt polygamiam juri naturali non esse oppositam, nec ante legem evangelicam fuisse jure divino prohibitam.

903. *Thesis :* **Polygamia simultanea, legis naturæ secundariis præceptis et institutioni primævæ contraria, sed Patriarchis post diluvium permissa, a Christo prohibita est.**

(A) *Polygamia simultanea juri naturali non primario, sed secundario adversatur.* Ita communiter. Res enim ita se habet, si polygamia, licet primarium matrimonii finem salvans, secundariis finibus nocet. Atqui polygamia (a) neque totaliter tollit neque aliqualiter impedit *primum* matrimonii finem, cùm unus vir sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis, et educandis filiis exinde natis; (b) *secundarios* autem fines non totaliter tollit quidem, sed multum impedit; etenim : 1) non facile potest esse *pax* in familiâ, ubi uni viro plures uxores junguntur, cùm non possit unus vir pluribus uxoribus æque placere : unaquæque videlicet ad se viri affectum trahere conabitur, et si vir non omnes æquali amore prosequatur (quod vix fieri potest), inde orientur jurgia, paci inimica, ut constat ex Patriarcharum historiâ. 2) Timendum est pariter ne maritus, in prædilectæ uxoris filios præcipue intentus, ceteros negligat. 3) Tandem tertius matrimonii finis, scilicet remedium concupiscentiæ, haud raro frustrabitur, cùm unus vir non possit simul pluribus uxoribus satisfacere. Pluralitas igitur uxorum non primario, sed secundario juri naturali adversatur.

904. (B) *Polygamia simultanea primævæ matrimonii institutioni contraria est.* Ita communius. Etenim : (a) quando Deus hominem creavit, *unum* fecit virum et *unam* mulierem [1]; jamvero, ut recte observat *S. Chrysostomus*[2], si Dominus voluisset ut vir unus pluribus uxoribus jungeretur, dum unum hominem fecit, multas fecisset mulieres. Postea vero Adamus, videns Evam, exclamavit : " Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit *uxori suæ;* et erunt *duo* in carne *unâ*"; ibi autem, ut ait *Inno-*

[1] *Gen.*, II, 7, 22. — [2] *Hom. 62*, al. 63, in *Matt.*, n. I, *P. G.*, LVIII, 597.

cent. III[1], " non dixit tres vel plures, sed duo; nec dixit adhærebit uxoribus, sed uxori "; quæ quidem polygamiam excludunt.

(b) Hinc, ante diluvium, solus Lamech dicitur duas uxores habuisse, et propterea a Patribus severe reprehenditur; sic *Nicolaus I* scribit[2] : " *Adulterii* autem flagitium, quod Lamech omnium *primus* in duabus uxoribus perpetravit, nonnisi sanguine Christi abolitum exstitisse "

(c) Propterea *Innocent. III* (l. cit.) ait : " Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divinâ revelatione concessum"; quæ quidem verba manifeste supponunt lege primitivâ prohibitam fuisse polygamiam.

905. (C) *Polygamia tamen, post diluvium, patriarchis et Judæis sub lege mosaicâ permissa fuit, immo valde probabiliter ipsis Gentilibus.* (a) *Patriarchæ* enim, qui Dei amicitiâ fruebantur, ut Abraham, Jacob, aliique, plures habuerunt uxores, nec propterea reprehenduntur, sed potius ut viri pietate insignes exhibentur. (b) *Lex mosaica* supponit pariter uxorum pluralitatem licitam esse, cùm statuat æquiparandos esse filios ex utrâque uxore natos[3]. Revera Elcana[4], David[5], Joas[6], aliique viri plures habuerunt uxores, et dum David graviter castigatur propter adulterium cum Bethsabe, uxore Uriæ, nunquam reprehenditur propter alias uxores quas duxerat.

906. *Objicitur* quasdam ex his uxoribus *concubinas* vocari ideoque non fuisse legitimas. — Sed in Scripturâ aliquando legitimæ uxores dicuntur concubinæ : sic Agar et Cethura nunc uxores, nunc conbinæ dicuntur[7]. Siquidem, apud Antiquos, duo genera uxorum distinguebantur : aliæ ducebantur non solum ad procreationem prolis, sed etiam ad societatem omnium bonorum et domûs gubernationem, et hæ *matresfamilias* vocabantur; aliæ autem solum ad generationem prolis, et hæ uxores secundariæ seu concubinæ dicebantur.

(c) Ratio autem præcipua cur polygamia, post diluvium, permissa fuit, erat multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ. Nam, ut ait *S. Thomas*[8] : " Semper principalior finis magis observandus est quam secundarius, Unde cùm bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit

[1] *Decretal.*, l. IV, t. 19, cap. *Gaudemus*, de Divort.
[2] Ad Consulta Bulgar., n. 51, ap. **Harduin**, *Act. Concil.*, t. V, p. 371.
[3] *Deut.*, XXI, 15. — [4] *I Reg.*, I, 2. — [5] *II Reg.*, II, 2.
[6] *II Parap.*, XXIV, 3 sq. — [7] *Gen.*, XVI, XXV. — [8] *Supplem.*, q. 65, a. 2.

negligi ad tempus impedimentum quod posset in secundariis finibus evenire ".

Communiter a theologis traditur dispensationem a lege primitivâ de unitate matrimonii nonnisi post diluvium datam fuisse : nil tamen certi hâc de re definiri potest. Nec necesse fuit ut dispensatio in scriptis exprimeretur; nam lex de unitate uxoris, ut animadvertit *S. Thomas* (loc. cit.), non fuerat verbo aut litteris tradita, sed cordi impressa, et ideo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quæ quidem principaliter patribus sanctis facta est, et per eorum exemplum ad alios derivata. Exinde etiam colligi potest, cum *Bellarmino* aliisque contra *Sanchez*, eamdem dispensationem datam esse Gentilibus; cùm enim tempore patriarcharum concessa fuerit, nulla est ratio cur ad solos Judæos limitata fuerit, eo magis quia difficilius erat paganis quam Israelitis perfectam matrimonii unitatem servare. Hinc Esther conjuncta est Assuero jam uxorem habenti nec propterea reprehenditur; ita pariter Abimelech, qui uxorem habebat, Saram ducere voluit, nec vituperatus est nisi quia uxorem alterius tulerat.

907. (D) *Polygamia simultanea jure divino sub N. Lege prohibita fuit.* De fide est ex *Tridentino* [1] : " Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum, A. S."

Probatur : (a) *Script.* 1) *Christus* enim matrimonium ad primam suam institutionem revocavit : nam, interrogatus num liceret uxorem repudiare, respondit non licere, hancque addidit rationem : " Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhærebit *uxori suæ*, et erunt *duo* in carne unâ : itaque jam non sunt duo, sed una caro " [2]. Atqui primæva matrimonii institutio polygamiam excludebat ex jam dictis, et ex verbis ipsius Christi : " erunt *duo* in carne unâ ". Confirmatur aliis Domini verbis : " Qui dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, mœchatur " [3]; nam ideo mœchatur dimittens uxorem et alteram ducens, quia prior non desinit uxor esse; atqui quando non est dimissa, a fortiori remanet uxor; ergo qui alteram ducit vere mœchatur. 2) *S. Paulus*, quoties de matrimonio loquitur, illud supponit esse unius viri cum unâ uxore, et ait : " Mulier vivente viro vocabitur adultera, si

[1] *Trident.*, sess. XXIV, can. 2. — [2] *Matt.*, XIX, 3 sq.
[3] *Luc.*, XVI, 18; *Matt.*, XIX, 9.

fuerit cum alio viro" [1]; porro, ex eodem Apostolo [2], paria sunt conjugum jura : " Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir : similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier"; ergo nec vir potest, vivente uxore, aliam ducere.

908. (b) *Patrum* testimonio constantique *Ecclesiæ praxi.* 1) Ita *S. Augustinus* [3] scribit in Ecclesiâ præceptum esse " ut nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fœcunda ducatur. Quod si quisquam fecerit... lege Evangelii reus est adulterii ". 2) *RR. Pontifices* unitatis matrimonii strenui vindices semper exstiterunt, etiam contra Principum lasciviam : ita, sæc. IX, *Nicolaus I* Lotharium regem, duarum simul uxorum sponsum, palam reprehendit, Episcoposque, qui in Conc. Metensi primi matrimonii vinculum dissolverant, deposuit [4].

Duo tamen facta in contrarium allegantur. 1) *Socrates* refert [5] Valentinianum imperatorem duas simul uxores habuisse, et statuisse ut idem cuilibet volenti liceret. — Sed testimonium hujusmodi communiter ab eruditis rejicitur, tum quia nonnulla in hâc narratione falsa sunt, tum quia Ammianus Marcellinus, licet Valentiniano satis infensus, illum laudat [6] quod "omni pudicitiæ cultu domi castus et foris esset". Aliunde factum hujusmodi, etiamsi verum, nihil probaret contra unanimem omnium sæculorum traditionem. 2) Objicitur etiam responsum *Gregorii II* [7] declarantis licere viro aliam uxorem ducere, quia hæc, ob infirmitatem corporis, debitum reddere non valebat. Verum dubitatur pariter de hujus responsi genuinitate, quod sedulo in archivis romanis quæsitum fuit, nec tamen inventum; si autem authenticum esset, forsan intelligi posset de impotentiâ quæ matrimonium invalidum facit. Ceteroquin correctores Romani de hoc decreto notârunt : "Illud Gregorii sacris canonibus, immo evangelicæ et apostolicæ doctrinæ penitus invenitur adversum"; nil igitur exinde contra constantem Ecclesiæ doctrinam praximve colligi potest.

[1] *Rom.*, VII, 3. — [2] *I Cor.*, VII, 2 sq.
[3] *De Nuptiis*, l. I, c. 10, n. 11, *P. L.*, XLIV, 420.
[4] **J. Roy**, *Saint Nicolas I*, Paris, Lecoffre, ch. 3. — [5] *Histor.*, l. IV, c. 31.
[6] Lib. XXX, circa finem.
[7] *Epist.* 13 ad S. Bonif., ap. **Labbe**, t. VI, col. 1448. En textus, qualis allegatur : "Nam quod proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta non voluerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis : non tamen subsidii opem detrahat ab illâ quam infirmitas præpedit". Cfr. **Kurth**, *S. Boniface*, Paris, Lecoffre, p. 55.

II. De polygamiâ successivâ [1].

909. Polygamiam successivam, seu secundas et ulteriores nuptias, tanquam jure divino illicitas damnaverunt olim *Montanistæ*, quibus adhæsit *Tertullianus* (De Monogamiâ), necnon *Novatiani*. Nonnulli Patres, præsertim Græci, de secundis et præsertim tertiis ulterioribusque nuptiis nimis dure locuti sunt. Immo, apud Græcos, jam a sæc. X, *jure ecclesiastico*, quartæ nuptiæ tanquam invalidæ habentur [2].

910. *Thesis :* **Polygamia successiva, licet minus Ecclesiæ probata, jure divino est licita, nec unquam in Ecclesiâ latinâ fuit universim prohibita.** Certum est.

(A) *Script.* S. Paulus diserte affirmat iteratas nuptias, mortuo priore conjuge, licitas esse : " Mulier, si mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro " [3]; " Dico autem non nuptis et viduis : bonum est si sic permanserint sicut et ego. Quod si se non continent, nubant; melius est enim nubere quam uri " [4]. Immo alibi [5] juniores viduas hortatur ut iterum nubant : " Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ ". Ex quibus patet, juxta mentem Apostoli, melius esse quidem in statu virginitatis vel viduitatis manere, sed tamen nuptias virginibus et viduis licere, immo aliquando expedire ad refrænandam concupiscentiam.

911. (B) *Tradit.* (a) Doctrinam Apostoli explicans, *S. Augustinus* scribit [6] :

" De tertiis et de quartis et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem. Unde, ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare... Quis enim sum, qui putem definiendum,

[1] **S. Thom.**, *Supp.*, q. 63; **Drouin**, l. IX, q. III, c. 2; **Billuart**, diss. V, a. 1, § 3; **Carrière**, n. 203 sq.; **Perrone**, l. III, sect. I, c. 2; **de Augustinis**, l. cit.; **Palmieri**, th. 12.

[2] " Orientales polygamiam quoque successivam... reprobant. Pro secundis quidem nuptiis habetur in Euchologiis præscriptus ritus, quas tamen ipsas post 45um ætatis annum reprobant; tertiæ nuptiæ censuræ ecclesiasticæ subjiciebantur, quartæ vero tanquam brutales damnabantur... Juxta hodiernam praxim, episcopi dispensatione subvenitur, dum ea petitur ". (**Papp. Szilagyi**, *Enchiridion juris eccles. orient.*, p. 414).

[3] *Rom.*, VII, 3. — [4] *I Cor.*, VII, 8. — [5] *I Tim.*, V, 14.

[6] *De bono viduit.*, c. 12, *P. L.*, XL, 439.

quod nec Apostolum video definivisse? Ait enim : mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit. Non dixit *primus*, aut *secundus*, aut *tertius* aut *quartus;* sed mulier, inquit, alligata est, quamdiu vir ejus vivit : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est; cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit [1]. Quid huic sententiæ, quantum ad hanc rem attinet, addi vel detrahi possit, ignoro ".

Fatemur equidem nonnullos Patres, præsertim Græcos, tertias vel ulteriores nuptias improbavisse, immo eas fornicatione pejores dixisse. Ita loquendo damnabant præcipue affectum illorum, qui non contenti primis vel secundis nuptiis, non ex intentione prolem suscipiendi, sed explendæ libidinis causâ, tertium aut quartum matrimonium inire volebant [2]. Nunquam tamen dixerunt hos conjuges separandos esse, sed eos, peractâ pænitentiâ, ad communionem accipiunt.

(b) Doctrinam Ecclesiæ hâc de re sic enuntiat *Eugenius IV* [3]. " Declaramus non solum secundas, sed tertias et quartas atque ulteriores, si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a conjugiis abstinentes, in castitate permanserint ".

(C) *Rat. theol.* Inspectâ solum naturâ rerum, nil prohibet quin iteratæ nuptiæ liceant; nam, ex unâ parte, primum vinculum, mortuo altero conjugum, solutum fuit; et ex alterâ, novus consensus matrimonialis inter partes aliunde habiles præstari potest; immo quandoque ipsa natura suadet ut sive ad procreationem prolis, sive ad incontinentiam vitandam, novum ineatur fœdus.

§ II. De matrimonii indissolubilitate.

912. Altera matrimonii proprietas est *indissolubilitas*, vi cujus vinculum inter conjuges initum non potest dissolvi nisi per mortem alterutrius conjugis. Huic indissolubilitati opponitur *divortium*, quod triplex distingui solet : divortium *quoad vinculum*, seu *plenum*, quo matrimonialis unio ita solvitur ut novæ possint iniri nuptiæ; divortium *quoad torum*, seu separatio a toro, ubi, manente conjugali nexu,

[1] *I Cor.*, VII, 39-40.

[2] Quoad præcipuos textus Patrum, qui repetitas nuptias damnare videntur, cf. Drouin et Perrone, l. cit. — [3] *Decret. pro Jacobitis.*

conjuges a debito conjugali reddendo immunes sunt; divortium *quoad habitationem*, quo conjuges ab obligatione simul cohabitandi liberantur. Hìc de *divortio proprie dicto*, seu quoad vinculum, tantum agimus.

Triplex pariter matrimonium distingui solet : *legitimum*, quod inter duos infideles initur, salvis legibus tum divinis tum humanis ; *ratum*, seu receptum, quod inter fideles celebratur juxta leges divinas et ecclesiasticas, ideoque vere est sacramentum; *consummatum*, quod copulâ carnali perfectâ, ex se ad generationem aptâ, completur.

Quibus prænotatis, dicemus : 1° de indissolubilitate matrimonialis vinculi ex *jure naturali;* 2° de eâdem indissolubilitate ex *jure divino;* 3° de casibus in quibus vinculum *solvi* potest etiam sub lege evangelicâ.

I. De indissolubilitate matrimonii ex jure naturali [1].

913. 1° **Status quæstionis.** (A) *Conspectus historicus.* Plerique ethnici philosophi matrimonium jure naturali dissolubile esse censuerunt, divortiaque apud plerasque Gentes in usu fuerunt [2].

Attamen, etiam apud quosdam Barbaros, unio matrimonialis fuit perpetua. Apud Græcos Romanosque, quamdiu mores floruerunt, pauca tantum fuêre divortia; Romæ præsertim huic praxi quædam ignominiosa in communi existimatio inusta fuit, nec reprehensione caruit Spurius Carvilius, qui primus Romanorum refertur uxorem suam, sterilitatis causâ, dimisisse, ut aliam duceret. Tempore vero Imperatorum multiplicata sunt divortia. Christiana religio divortia abolere curavit, ut jam probavimus. Sed *Protestantes* divortiis iterum viam aperuerunt, docendo ea in nonnullis casibus licita esse; et *Rationalistæ* permulti docuerunt vinculi matrimonialis solutionem non solum licitam, sed etiam in multis casibus utilem et laudabilem esse ; inter quos : *Diderot* in Galliâ, *Werkmeister* et *Braun* in Germaniâ, *Bentham* in Angliâ, *Ferrari* in Italiâ aliique; hinc *Politici* in variis Statibus leges condiderunt

[1] **S. Thom.**, *Supp.*, q. 67, a. 1-2; *C. Gent.*, l. III, c. 123; **Bellarm.**, c. 16; **de Rastignac**, *Accord de la révelation et de la raison contre le divorce*, 1790; **Barruel**, *Lettres sur le divorce*, 1789; **de Bonald**, *Du Divorce considéré au XIX[e] s.*, 1801; **Hume's**, *Essays*, XIX; **Carrière**, n. 213 sq.; **Perrone**, lib. III, sect. II, c. 1, a. 1; **Palmieri**, th. 16, 23; **Woolsey**, *Divorce and Divorce Legislation*, 1882, c. VI; **Monsabré**, *Carême* 1887, 86-87[e] Confér., *anglice* Confer. on Marriage, II-III; **P. Didon**, *Indissolubilité et divorce*[5], 1880; **Fonsegrive**, *op. cit.*, p. 90 sq.; **Bonomelli**, *Il Divorzio*, 1910.

[2] De quo vide **Westermarck**, *op. cit.*, ch. 23, p. 486-502.

quibus divortia propter varias causas permissa sunt[1]. Expedit igitur ut exponamus quid de indissolubilitate matrimonii recta ratio doceat.

914. (B) *Theologorum opiniones.* Jamvero certum est divortium permissum simpliciter *arbitrio conjugum*, ex quocumque motivo, juri naturali repugnare, cùm educatio prolis quamdam stabilem conjugum societatem requirat. (a) Sed si quæstio est de divortio *ab auctoritate publicâ, propter graves rationes* concesso, nonnulli theologi, ut *Sanchez, Bellarminus, Swartz*[2] negant illud prohiberi solo jure naturali; alii ex adverso, ut *Scotus, Alph. Tostat, S. Ligorius*[3] affirmant; alii tandem cum *Perrone* distinguunt, statuuntque matrimonii indissolubilitatem non pertinere ad jus naturale *primarium*, sed ex *secundario* jure profluere.

(b) Quæ quidem ultima sententia nobis amplectenda videtur. Nam 1) ex unâ parte, matrimonii primarius finis, videlicet prolis procreatio et educatio, etiamsi conjugale vinculum aliquando solvatur, stricte loquendo obtineri potest; immo in nonnullis casibus, v. g., quando uxor est

---

[1] Divortiorum numerum crescere ubi lex civilis divortio favet, experientiâ constat :

Ita, in *Statibus Americæ fœderatis*, secundum censum officialem recenter editum (1908), ter citius multiplicata sunt divortia quam civium numerus (cfr. **Howard**, *Is the freer granting of divorce an evil?* in *American Journal of Sociology*, may 1909; *The catholic Encyclopædia*, Appleton, New-York, t. V, p. 66-69.,

An.	1867 recensebantur divortia	9,936
	1877	15,687
	1887	27,919
	1897	44,699
	1906	72,062
In *Galliâ*, an.	1896	7,051
	1901	7,741
	1906	10,573
	1910	12,975
	1911	13,058

In *Germaniâ*, pariter divortia quæ an. 1881 computabantur 3,942, an. 1891 jam erant 6,582, et an. 1899 multo plura, nempe 9,333, etc.

Eumdem progressum invaluisse in aliis regionibus ostendit **R. Lemaire**, *Le Mariage civil*[2], p. 197-198. Ibidem, p. 205, probatur pauciora esse divortia inter sponsos qui diutius simul vixerunt quam inter eos qui nonnisi paucis mensibus aut annis cohabitârunt.

[2] **Sanchez**, t. II, disp. XIII; **Bellarm.**, c. IV, n. 2,; **Swartz**, *Instit. juris publici*, part. II, tit. I, n. 3 sq.

[3] **S. Alphonsus**, *Theol. moralis*, l. VI, n. 956 cum auctoribus ibi allegatis.

sterilis vel perpetuo morbo laborat qui matrimonii usum prohibet, primarius ille finis per divortium melius obtinetur; 2) ex alterâ autem parte, tot sunt prava consectaria ex divortio dimanantia, præsertim *quoad prolem*, ut juri naturali secundario contrarium merito dicatur, prout modo declarabitur.

915. 2° *Thesis* : **Indissolubilitas matrimonii, præsertim quando proles ex eo nata est, juri naturali secundario innititur, proindeque divortium, propter prava consectaria quæ inducit, rejiciendum est.**

Id enim juri naturali secundario adversatur quod, etsi finem *primarium* matrimonii non destruat, prohibet tamen ne hic integre obtineatur, et insuper naturæ matrimonii repugnat, finibus *secundariis* valde nocet, *pravaque inducit consectaria* pro societate. Atqui ita est de divortio.

916. (A) Etsi enim *fini primario* non absolute obstet, ut dictum est n. 914, impedit tamen quin hic *integre* obtineatur. Nam primarius finis est *bona prolis educatio* : ad hoc enim principaliter institutum est connubium ut proles non solum generetur, sed recte educetur, et ita promoveatur totius societatis et humanitatis bonum. Quare, etsi in certis casibus infelices essent conjuges simul vivendo, eorum privatæ felicitati anteponi debet bona prolis educatio, quæ *commune* bonum respicit [1].

Quibus notatis, facile evincitur divortium *bonæ prolis educationi plerumque nocere.* (**a**) Infans enim *utriusque parentis auxilio indiget* non solum tempore quo nascitur, sed per multos annos (supra, n. 893) : 1) initio quidem a matre enutritur, sed pater debet simul matri necessaria vitæ suppeditare; crescentibus filiis, ad eorum educationem desiderantur non solum matris suavis amor et provida cura, sed etiam patris severa auctoritas eximiaque prudentia. Porro ad hoc requiritur stabilis, immo, ex communiter contingentibus, *perpetua* conjugum unio; nam, antequam omnium infantium perfecta fuerit educatio, quæ sæpe etiam ultra vigesimum annum protrahi debet, plerumque parentes, jam

[1] Fonsegrive, *op. cit.*, p. 283-294 et 310-319.

ætate provecti, non amplius erunt ad novum matrimonium habiles. 2) Præterea, si novum ineant fœdus, filii vel patri vel matri adhærebunt : si *prius*, tenero matris amore carebunt, multaque ex invidiâ novercæ patientur, quæ, propriis natis intenta, illos negliget vel etiam variis modis affliget; si *posterius*, paterni amoris fruitione privabuntur eo tempore quo ejus curâ magis indigebunt, et multa forsan patientur ex parte secundi mariti, qui timet ne proprii filii negligantur; ergo in quâlibet hypothesi, eorum educatio imperfecta erit.

(b) Aliunde proles, ut recte educetur, non tantum familiâ, sed etiam *suâ* familiâ indiget, cùm paternus amor delegari non possit.

917. (B) Divortium pariter impedit quin *integre* serventur *natura* et *æqualitas* contractûs : (a) Matrimonium enim *suâ naturâ* postulat perpetuitatem : ambo enim conjuges copulâ fiunt *una caro*, et filios generando novo et arctissimo vinculo colligantur, nempe prole genitâ quæ utrique parenti communis est et a quâ neuter separari potest quin aliquid sui amittat : si igitur, vivente altero conjuge, novæ ineuntur nuptiæ, dividitur quod natura tam arcte conjunxerat. (b) Insuper *æqualitas contractûs* exigit ut unus conjugum in pejori non sit conditione ac alter; atqui, divortio occurrente, hoc moraliter est impossibile; vir enim nihil aut parum dignitatis suæ amisit, et facile novum fœdus inire potest, dum mulier, quæ per plurimos annos nupta fuit, filiosque procreavit et enutrivit, postquam a viro dimittitur, plerumque a suâ dignitate excidit, decorem et fecunditatem amisit, et vix sperare potest ut novum matrimonium contrahere possit. "Si quis igitur, ait *S. Thomas* [1], mulierem assumens tempore juventutis, quo et decor et fecunditas ei adsunt, eam dimittere posset postquam ætate provecta fuerit, damnum inferret mulieri contra naturalem æquitatem".

918. (C) Divortium *finibus secundariis* nocet, nempe *veræ felicitati conjugum* : (a) *Favet conjugiis disparibus et festinanter initis ;* nam, si fas est matrimoniale vinculum post aliquod tempus rumpere, multi corde levi, absque diligenti et maturâ consideratione, matrimonialem statum ingredientur [2], dum majori curâ et nonnisi re diligenter perpensâ con-

---

[1] *Cont. Gent.*, lib. III, cap. 123.

[2] "Plures de plebe nuptias contrahunt, hoc probabiliter secum reputantes, si felicitatem in hâc unione non assequantur, in suâ fore facultate ipsam solvere, terumque fortunam experiri. Et revera sermones hujusmodi a nonnullis suæ-

jugia instituentur, si cognoscitur ex conjugis electione *perpetuam* felicitatem aut infelicitatem pendere. Jamvero nihil magis unioni conjugum nocet quam illa connubia quibus sponsi animo, dispositionibus et conditione dispares, cæco impellente amore seu potius passione, simul conjunguntur.

(b) *Mutuum amorem restringit;* in eo siquidem præcipue consistit conjugum felicitas ut *amore perpetuo* intime uniantur, et sint cor unum et anima una, sicut sunt una caro; hinc, naturâ duce, sibi invicem spondent *amorem æternum*, et in illo amore miseriarum levamen felicitatemque inveniunt; nam ubi amatur, non laboratur, aut si laboratur, ipse labor amatur. Atqui illa intima animorum conjunctio vix cum divortii facultate subsistere potest; verus enim amor perpetuus esse vult, et statim ac amicum infidelem fore probabiliter suspicamur, jam cessamus eum singulariter diligere. Quis igitur intime conjugi adhærebit, qui post aliquot annos, et forsan post aliquot menses, ab eo separari exspectat? Nonne hujusmodi suspiciones hanc perfectam amicitiam destruent vel retardabunt?

"Amicitia quanto major est, ait *S. Thomas*, tanto debet esse firmior et diuturnior. Inter virum autem et mulierem maxima amicitia esse videtur; adunantur enim non solum in actu carnalis copulæ, quæ etiam inter bestias quamdam suavem societatem facit, sed etiam ad totius domesticæ conversationis consortium; unde, in signum hujus, homo propter uxorem, etiam patrem et matrem dimittit... Conveniens igitur est quod matrimonium sit omnino indissolubile"[1].

parœciæ juvenibus habitos fuisse, a quodam ministro mihi renuntiatum fuit". **Woolsey**, protestans, *op. cit.*, p. 277.

[1] *C. Gent.*, l. III, c. 123. — Nec dicatur non licere homini votis perpetuis se obstringere, cùm sit naturâ inconstans et mutabilis; nam, ut recte ait **Paul Janet** (*La Famille*, p. 300), perpetuitas vinculi amoris naturæ non adversatur, sed potius favet : "Adeo amoris natura perpetuitatem postulat, ut nihil amans auderet exposcere, quin perpetuitatem promitteret. Jurejurando fidem in æternum firmare, eamdemque, etiam cùm ficte loquitur, simulare, primi sunt amoris actus : qui si deficiant, operam perderet. — Cordis jura et votorum perpetuitatem objiciunt. Amoris jura ad conjugum unionem adstringendam, minime ad dissolvendam libenter agnoscimus. Libertati fidelitatem opponamus; atque ita præclariorem dignitatem, fulgidioremque gloriam cor sibi vindicabit, quam si fas esset alteri prout libuerit adhærere, et amoris objectum continue permutare... Fateor vero, nonnisi ob gravia argumenta, indissolubili vinculo cor esse vinciendum. Hæc autem duo inconcussa mihi videntur : uxoris dignitas filiorumque bona educatio".

(c) *Leves discordias adauget*, propter spem felicitatis in alio connubio inveniendæ. Siquidem societatis domesticæ maxime interest ut conjuges multa sibi condonent, alter alterius defectus patienter ferant, immo mutuis obsequiis se invicem præveniant. Porro si matrimonium est indissolubile, timent conjuges ne per discordias gravissimum et intolerabile fiat jugum quod excutere non valent, magis patienter mutuos sibi condonant defectus, et, ut ait poeta, *fit levius patientiâ quidquid corrigere est nefas;* ex adverso autem spes divortii ad dissensiones, jurgia et adulteria provocat; qui enim cogitat de novo meliorique conjuge inveniendo, extraneo amore cito captus erit, et, ut matrimonium sibi onerosum disrumpat, contumeliis, vituperationibus, verberibus, adulteriis indulgebit, ita ut, teste experientiâ, divortium sit maximorum criminum occasio et causa [1].

Nec dicatur adulterium esse tam turpe et nefarium, ut saltem propter illud crimen solvi debeat matrimonii vinculum; nam, si res ita se habeat, haud raro adulteria committentur eo fine ut divortium obtineatur, ut jurisperiti experientiâ nôrunt [2]; expedit igitur ad bonum publicum ut vel conjuges pacifice cohabitent, vel separentur quoad torum et habitationem, absque spe novas nuptias ineundi.

919. (D) *Prava consectaria pro societate* divortium inducit : (a) *pacem familiarum disturbat;* matrimoniis enim

---

[1] "Quot futilia jurgia, quot tædia facili oblivione conterunt qui communi tantum pollent prudentiâ, hâc potissimum ratione ducti quod necessario vita communis agenda sibi sit perpetuo! Minusculæ illæ dissensiones in summam invidiam cessissent, facilis divortii spe ad supremum gradum perductâ. Itaque perpendendum nobis est nihil periculo plenius quam duos ita intime copulare, ut vir et uxor copulantur inter se, quin hanc unionem perfectam et indissolubilem reddamus. Minima separationis probabilitas dissensionum et suspicionum fons evaderet uberrimus, uxor de suo statu minus tuta separationis consilium animo quotidie agitabit, et vir sibi tantum consulens majorique fretus potestate in majus discrimen unionem adduceret". (**Hume**, *Essay* XIX).

[2] "Omnibus compertum est desiderium ab eo statu qui gravis factus sit sese eximendi, plures homines et nonnullas fœminas ad eam vitæ rationem adducere quæ divortium pariat, aut saltem suadeat illud, si contingat, conjugibus ingratum non fore. Virum aliquando adulteratum fuisse, divortii obtinendi causâ, ex pluribus de divortio latis judiciis, cancellarius Kent merito adnotavit. Apud alias gentes matrimonii historia nos admonet eo scelestos augeri mores quo plures præsto sunt divortii causæ, quæ nedum prohibeant, immo viam divortio parant". (**E. Phelps**, *Forum*, Dec. 1889, p. 363; cf. **Woolsey**, *op. cit.*, sq.) 261 p.

familiæ inter se coadunantur, lites, et inimicitiæ exstinguuntur, concordiæ vincula inter varia societatis membra efformantur; ex adverso autem, ex divortio divisiones oriuntur, odia et vindictæ inter duas vel plures familias per multos annos vigent, et, si multiplicantur, pax ipsa societatis turbatur.

(b) *Mores corrumpit;* nam facultas divortii paulatim matrimonium vertit in concubinatum : datâ enim hominis inconstantiâ, conjugale vinculum non semel, sed ter, quater aut etiam pluries abrumpi potest, eo magis quia inconstantia repetitis actibus crescit; quod jam evenisse historiâ constat : *Seneca* enim de his uxoribus loquitur quæ " non consulum numero, sed maritorum, annos suos computant " [1]; et *Juvenalis* [2] ait : " Sic fiunt octo mariti, quinque per autumnos : titulo res digna sepulcri ". Idem se habet nostris diebus apud tribus aut gentes ubi viget divortium [3]. Jamvero quid sunt matrimonia per duos aut tres annos tantum duratura, nisi palliatus concubinatus?

Nec dicere juvat per divortium minui discordias et separationes : nam indubitatis factis constat has increvisse ubi divortia permissa sunt, et quotidie invalescere. Præterea lex hujusmodi occasionem præbet multis criminibus, præsertim vero adulterio, quod a nonnullis committitur vel permittitur eo fine ut facilius conjugale vinculum coram tribunalibus solvi possit. Jamvero quis est qui non videat hisce omnibus mores paulatim corrumpi?

Quæ quidem omnia sic dilucide exponit *Leo XIII* (Encycl. *Arcanum*) : " At vero quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim causâ, fiunt maritalia fœdera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur, dissuendis societatibus domesticis præbetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quæ in periculum veniunt ne, cùm libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nihil tam valet quam corruptela morum, facile perspicitur prosperitati familiarum ac civi-

[1] *De Beneficiis*, l. III, c. 16. — [2] *Sat.*, VI, v. 229.

[3] Ad rem **Westermarck**, *op. cit.*, p. 488 : " Au Caire, selon M. Lane, il n'y a que peu de gens qui n'aient pas divorcé une fois, s'ils ont été mariés quelque temps; et beaucoup d'hommes, en Egypte, ont épousé vingt, trente femmes ou plus; tandis qu'il y a des femmes, peu avancées en âge, qui ont été femmes successivement de douze hommes ou même plus ".

tatum maxime inimica esse divortia, quæ a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitæ privatæ et publicæ consuetudines aditum januamque patefaciunt. Multoque esse graviora hæc mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, aut ante provisos limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, major cupiditatum : hisce incitamentis fieri debet ut divortiorum libido latius quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus exundans".

920. *Objiciunt* adversarii non paucos conjuges vitam miserabilem ducere, nisi ab invicem separentur, nec sæpe separationem sufficere, sed facultatem requiri novas nuptias ineundi, ut ita vitentur non tantum conjugum perpetua infelicitas, sed etiam adulteria et scandala.

Resp. (**a**) Norma morum non est privatorum felicitas, sed rectæ rationis dictamen, quod, ex jam dictis, vinculi perpetuitatem postulat præsertim ad bonam prolis educationem, quæ est unus e primariis finibus matrimonii (n. 916), et ad vitanda innumera mala pro familiâ et societate (n. 919). Quamvis igitur quidam privati multa et ardua pati debeant ex indissolubilitate contractûs, non ideo lex mutanda est quia *bonum morale bono temporali* et *bonum publicum bono privato anteponi debet.* (**b**) Adulteria autem et scandala, quæ ex perpetuitate vinculi oriri dicuntur, non rariora sed frequentiora evaserunt in Galliâ aliisque regionibus a tempore quo divortia lege permissa sunt, ut experientiâ constat[1]; nec mirum, cùm spes ad novas nuptias transeundi concupiscentiam non exstinguere sed potius inflammare soleat.

Prudentia igitur postulat ut alia remedia adhibeantur, nempe vel christiana patientia, vel secessio temporanea : tempus enim multa vulnera sanat, et sæpe longa patientia animorum dissensiones minuit vel penitus tollit, præsertim si virtute religionis juvetur : " quæ efficit ut vitia, si quæ sint in personis, ut distantia morum et ingeniorum, ut curarum maternarum pondus, ut educationis liberorum operosa sollicitudo, ut comites vitæ labores, ut casus adversi, non solum moderate, sed etiam libenter perferantur. "[2]

[1] Quod probat **Fonsegrive**, *op. cit.*, p. 203

[2] **Leo XIII**, *Encycl. Arcanum.*

II. De indissolubilitate matrimonii ex jure divino[1].

921. Inter Christianos communiter agnoscitur matrimonium ab initio fuisse indissolubile, tempore autem legis mosaicæ sub certis conditionibus dissolvi potuisse, sed ad primævam indissolubilitatem a Christo revocatum fuisse. Attamen *Græci schismatici* et *Protestantes* docent matrimonium, etiam quoad vinculum, solvi posse per adulterium, aut etiam, juxta multos, propter obstinatam desertionem alterutrius conjugis[2].

922. *Thesis Ia* : **Matrimonium ex primævâ Dei institutione indissolubile fuit, sed sub lege mosaicâ per libellum repudii dissolvi poterat, etiam in foro conscientiæ, sub certis quibusdam conditionibus.** Ita communiter.

(**A**) *Prius* probatur. (**a**) Interrogantibus enim Pharisæis num liceat homini uxorem dimittere quâcumque ex causâ, Christus respondet Deum ipsum auctorem esse matrimonii, neque homini licere hanc unionem dissolvere : " Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet ". Illis autem objicientibus libellum repudii a Moyse fuisse permissum, Dominus addit : " Quoniam Moyses *ad duritiam cordis* vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : *ab initio autem non fuit sic*"[3]. Quæ quidem verba manifeste supponunt ab initio non ita matrimonium institutum fuisse ut viro licentia daretur repudiandi uxorem. (**b**) Quod a *Triden-*

---

[1] **S. Thom.**, *Supp.*, q. 67; **Sanchez**, l. X, disp. I; **Drouin**, l. IX, q. IV, c. 1: **Bellarminus**, c. 16: **Billuart**, diss. V, a. 2, Digressio histor.; **Carrière**, n. 228 sq.; **Perrone**, l. III, sect. 2, c. 1-4; de **Augustinis**, a. 8; **Palmieri**, th. 17-22; **T. Woolsey**, *op. cit.*, c. 1; **J. Cauvière**, *Le Lien conjugal et le Divorce*, Paris, 1890; *Congrès scient. internat.* 1894, Sc. jurid., p. 133 sq.

[2] Quoad doctrinam Græcorum hâc de re, vide **Jos. Selinger**, *Divorce* a vinculo *in the schismatical churches*, in *Amer. Eccles. Review*, apr. 1892, p. 264 sq. Protestantium autem doctrinam sic exhibet Confessio fidei *Westmonasteriensis* (cap. XXIV, 5-6) : " Quod si adulterium post conjugium admittatur, licebit parti innocenti divortium lege postulare ac obtinere; atque quidem post factum divortium conjugio alteri sociari, perinde ac si mortua esset persona illa quæ conjugii fidem violabat... Nihilominus tamen extra adulterium ac desertionem ita obstinatam, ut cui nullo remedio, nec ab Ecclesiâ nec a Magistratu civili subveniri possit, sufficiens causa nulla esse potest conjugii vinculum dissolvendi ". (Ap. **Schaff**, *Creeds*, vol. III, p. 656).

[3] *Matt.*, XIX, 3 sq.

tino[1] confirmatur : " Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cùm dixit : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne meâ ".

923. (B) *Posterius* constat; legitur siquidem in *Deut.*[2] : " Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo suâ. Cùmque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo suâ, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem ". Jamvero his verbis vel conceditur, vel jam concessa supponitur facultas divortii quoad vinculum; nam uxor dimissa exhibetur ut alteri viro nubens, et insuper Sacerdotes prohibentur mulierem repudiatam ducere[3] : ex quo eruitur hoc aliis fuisse permissum.

(a) Disputatur vero inter Patres et theologos utrum hujusmodi concessio in foro externo tantum, an etiam in *foro interno* valeret[4]. *Probabilior* nobis videtur opinio affirmans hanc fuisse veram permissionem *in foro conscientiæ validam* : 1) qui uxorem dimissam ducit, vocatur *maritus* et potest ipse dare libellum repudii : quod jus soli legitimo competebat marito; præterea prior maritus prohibetur uxorem dimissam denuo recipere; porro, si vinculum non vere solutum fuisset, cur ista prohibitio; 2) si permissio hujusmodi non valuisset in conscientiâ, lex multis adulteriis occasionem præbuisset; iniquissima fuisset mulierum conditio, cùm, post acceptum repudii libellum, perpetuo continentiam observare debuissent; 3) tandem Judæi omnes hanc interpretationem amplexi sunt, et licet duæ scholæ, *Shammai* et *Hillel*, de causis propter quas divortium concedi possit disputarent[5], in hoc tamen consentiebant quod quandoque liceret.

(b) Nonnisi sub certis quibusdam *conditionibus* concedebatur facultas divortii : 1) non uxori, sed tantum viro competebat; immo viro non permittebatur quando, ante matrimonium, cum uxore

[1] Sess. XXIV, cap. unic., Denz.-Bann., 969 (846).

[2] *Deut.*, XXIV, 1 sq. — [3] *Levit.*, XXI, 7.

[4] *S. Bonaventura, Sotus, Estius, Sylvius, Card. Billot*, putant divortium solummodo *civiliter* toleratum fuisse, ideoque a pœnâ civili non autem a peccato immune; quæ tamen opinio minus probabilis videtur.

[5] Secundum *Hillel*, causa sufficiens erat quælibet res marito displicens, ut si uxor negligenter cibos præparasset; sed, juxta scholam *Shammai*, requirebatur quædam impudicitia ex parte uxoris.

commercium carnale habuerat, vel eam injuste accusaverat quod non esset virgo [1]. 2) Præterea non quâlibet de causâ vir uxorem dimittere poterat, sed solum propter aliquam *fœditatem* (*'ervat dabar*) quæ vox designabat aliquid turpe et inhonestum. 3) Nec eam dimittere licebat sine *libello repudii scripto*, per quod non solum providebatur statui uxoris, sed difficilius evadebat divortium. 4) Tandem, quando mulier sic repudiata novum inierat matrimonium, a priori marito non poterat denuo in uxorem recipi : quo fiebat ut vir magis caute ageret. Hisce variis formalitatibus legislator sacer satis ostendebat divortia esse quid minus perfectum, eaque intra certos limites coarctabat.

Ratio autem cur Deus talem facultatem dederit, his verbis Christi indicatur "*ad duritiam cordis*", seu, ut explicat *S. Thomas* [2] "propter majus malum cohibendum, scilicet uxoricidium, ad quod Judæi proni erant propter corruptionem irascibilis".

924. *Thesis IIa* : **Matrimonium fidelium, ratum et consummatum, non potest, sub lege evangelicâ, quoad vinculum dissolvi, etiam propter adulterium.** Certum est et fidei proximum contra Græcos et Protestantes ex *Tridentino* [3] : " Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum qui, dimissâ adulterâ, aliam duxerit; et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit; A. S.".

Canon *directe* dirigitur contra Protestantes, qui Ecclesiam Catholicam erroris hâc de re accusabant; proindeque *de fide est* Ecclesiam non errare dum docet, propter adulterium, matrimoniale vinculum dissolvi non posse; *indirecte* tantum contra Græcos, quia Concilium noluit eorum opinionem ut hæreticam damnare [4], proptereaque talem formulam adhibuit quæ in tuto ponit doctrinam Ecclesiæ, quin hæc tanquam de fide proponatur; nam aliud est definire *Ecclesiam non errare cùm docet*, aliud dicere *id quod docet esse de fide*. Ecclesia enim docere potest veritates quæ sunt certæ, licet non sint de fide.

---

[1] *Deut.*, XXII, 19, 29. — [2] *Supplem.*, q. 67, a. 3.

[3] Sess. XXIV, can. 7.

[4] Juxta **Pallavicini** (*Hist. Concil. Trid.*, l. XXII, c. 4, n. 27) canon prius ita fuerat confectus ut etiam Græcos anathemate percuteret; sed, postulantibus Venetis oratoribus, reformatus est qualis nunc exstat, ne novum obstaculum Græcorum unioni apponeretur

Diximus in propositione "matrimonium *fidelium* ratum et *consummatum*", quia si agitur de matrimonio infidelium, vel de matrimonio fidelium rato tantum et non consummato, exceptiones adesse possunt, ut infra declarabitur.

925. (A) *Script.* (a) Tribus in locis *Christus* aperte declarat adulterium committi ab eo qui dimissam uxorem ducit : " Ego autem dico vobis : quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari : et *qui dimissam* duxerit, adulterat "[1]; " Omnis, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mœchatur : et qui dimissam a viro ducit, mœchatur "[2]. Atqui, si matrimomium posset dissolvi quoad vinculum, adulterium minime committeretur ab eo qui dimissam uxorem duceret.

(b) Idem clare eruitur ex verbis *Apostoli*[3] *:* " Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, *manere innuptam*, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat ". Porro hæc verba prorsus generalia sunt et manifeste supponunt uxorem dimissam, ob quamcumque causam, non posse iterum nubere.

Opponuntur quidem verba Domini : " Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur : et qui dimissam duxerit, mœchatur "[4]; ex quibus tum Græci tum Protestantes colligunt in casu fornicationis, seu adulterii, matrimoniale vinculum solvi posse.

Resp. Fatemur equidem hujusmodi textum, si solus sumitur, absque contextu et locis parallelis, obscurum esse, et utrove sensu intelligi posse; sed, inspectis contextu et parallelis locis, de divortio quoad vinculum intelligi non posse, sed de solâ dimissione sine solutione vinculi. 1) Quod *ex contextu* apparet. Pharisæi enim Christum interrogabant de solâ dimissione; cùm enim inter se dis putarent utrum liceret dimittere uxorem propter quamlibet causam, an propter adulterium tantum, Christus respondet ob solam fornicationem uxorem dimitti posse (in perpetuum); et quia abolere volebat divortium a vinculo, addit non licere, etiam in hoc casu, dimissam uxorem ducere sub pœnâ adulterii. Aliis verbis, verba " *nisi ob fornicationem* " propositionem *incidentem* constituunt, quæ ad præcedentia verba "*dimiserit uxorem* " refertur, non autem ad sequentia "*et aliam duxerit*", ita ut sensus sit : quicumque dimise-

[1] *Matt.*, V, 32. — [2] *Luc.*, XVI, 18; cf. *Marc.*, X, 11-12.
[3] *I Cor.*, VII, 10.
[4] *Matt.*, XIX, 9; cfr Fillion, *Evang. selon S. Matthieu*, in h. loc.

rit uxorem suam (quod quidem non licet nisi ob fornicationem), et aliam duxerit, mœchatur. Proinde fornicatio seu adulterium est quidem sufficiens ratio cur uxor dimittatur, seu separatio fiat *a mensâ et toro*, sed non cur novum fœdus ineatur[1]. Revera paulo ante dixerat : " quod Deus conjunxit, homo non separet ", et declaraverat libellum repudii non amplius concedi sub N. Lege, his verbis satis ostendens matrimoniale vinculum nullo in casu solvi. 2) Accedunt *loca parallela* jam citata, in quibus sine ullâ restrictione asseritur eum qui dimittit uxorem et aliam ducit, adulterium committere, et iterum eum qui dimissam uxorem ducit, mœchari. Jamvero principium est inconcussum obscura loca per alia clariora intelligenda esse[2]. Tandem omne dubium, si quod remaneret, catholicâ traditione tollitur.

926. (B) *Tradit.* Tria tempora in historiâ hujus dogmatis distinguere licet.

(a) Certum est Patres, *tribus prioribus sæculis*, ore *unanimi* docere matrimonium christianum esse indissolubile, etiam in casu adulterii. Pauca sufficiat referre testimonia[3].

Hermas siquidem hæc habet de ratione agendi erga mulierem adulteram[4] : " Quid igitur, inquam, domine, faciat maritus, si uxor in hâc libidine permanserit? Dimittat eam, inquit, et vir maneat secum; si vero uxore dimissâ aliam duxerit, et ipse adulterium committit. " Eodem sensu scripserunt *S. Justinus*[5], *Athenagoras*[6], *Clemens Alex.*[7] aliique multi. — Etsi vero Patres hâc de re consentirent, quidam ecclesiæ rectores, teste *Origene*, aliquando divortium lege civili permissum toleraverunt, ad vitanda pejora mala. Quos vituperat dicens : " Contra Scripturæ legem, vivente viro nubere quidam ecclesiæ rectores permiserunt, agentes contra id quod scriptum est : Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. "

---

[1] Quod analogiâ illustrari potest. Supponatur lex quædam sic concipi : " Quicumque filium suum percusserit, nisi ob grave delictum, eumque occiderit, punietur "; sane propositio incidens in hoc casu priorem tantum sententiæ partem afficit, non posteriorem; neque licebit concludere patrem posse, ob gravia delicta, filium occidere. Cfr. **René de Kerallain**, *Revue gén. du droit*, 1884, p. 481.

[2] Quod nonnulli Protestantes intellexerunt, v. g. **E. J. Phelps**, *Forum*, Dec. 1889, p. 359.

[3] Rem penitus discussam vide apud **Perrone**, l. III, c. 3; **Roskovany**, *De Indissolubilit. matrimonii*, c. IV, Doctrina Ecclesiæ, § 101 sq. Cfr. **A. Esmein**, *Le Mariage en Droit Canonique*, Paris, 1891, t. II, p. 48 sq.; **Watkins**, *op. cit.*, p. 198 sq.; *Dict. de Théol.* (*Vacant*), t. I, verbo *Adultère*.

[4] *Pastor*, Mandat. 4, n. 6, p. 475 ed. *Funk*.

[5] *Apol. I*, n. 15, *Apol. II*, n. 2, *P. G.*, t. VI, p. 350.

[6] *Leg. pro christ.*, n. 32.

[7] *Stromat.*, l. II, c. 23, *P. G.*, t. VIII, p. 1095.

Eos tamen aliquo modo excusat, quin eorum agendi rationem approbet : "Non omnino tamen permiserunt sine ratione; hæc enim contra legem ab initio latam et scriptam, ad vitanda pejora, alieno arbitrio morem gerentes, eos permisisse verisimile est"[1]. Ita via parabatur, in Ecclesiâ græcâ, abusibus sequioris ævi.

(b) *A quarto sæculo ad decretum Gratiani* (1145), distinguendum est inter Orientalem et Occidentalem Ecclesiam.

1) In *Oriente* nonnulli scriptores, nimis facile assentientes legibus civilibus, quæ divortium propter adulterium, longam mariti absentiam, aliasque causas permittunt, primum timide, postea vero audacius, divortium tolerandum esse docuerunt, dissimulantibus posteaque etiam probantibus episcopis, præsertim post consummatum schisma[2]. Quos abusus non semel improbavit S. Sedes, et in *C. Florentino*, ubi agebatur de unione cum Romanâ Ecclesiâ, *Eugenius IV* in decreto ad Armenos doctrinam de matrimonii firmitate iterum declaravit : "Quamvis autem ex causâ fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit". Græci ad tempus huic declarationi assensum præbuerunt, nec, quando de unione agebatur, inter causas dissensionis hanc commemoraverunt; sed, paulo post, ad suam praxim reversi sunt. Hodie etiam nonnulli Orientales, qui catholicam fidem amplexi sunt, quamvis speculative doctrinam nostram admittant, in praxi divortium propter adulterium tolerant.

2) In Ecclesiâ *Latinâ*, quæ imperatoribus, præsertim in rebus fidei ac morum, fortiter restitit, firmitas matrimonialis vinculi feliciter servata est. Quamvis enim jus civile divortium permitteret, Patres ejus vim et auctoritatem admittere noluerunt, *S. Hieronymo* assentientes, qui scribebat[3] : "Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit... Apud nos, quod non licet feminis, æque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur". Quod præsertim obtinuit in Italiâ, ubi Romani Pontifices matrimonii indissolubilitati tam sedulo invigilarunt, ut etiam Protestantes fateantur Ecclesiam hâc de re nullomodo vacillavisse[4]. Ita *Innocen-*

[1] **Origenes,** *homil.* 14 in Matt., n. 23, *P. G.*, t. XIII, p. 1246.

[2] Cfr. **Perrone,** *op. cit.*, t. III, p. 359-376; **Watkins,** *op. cit.* p. 346-362.

[3] *Ep.* 77 ad Oceanum, n. 3, *P. L.*, t. XXII, p. 691.

[4] Ita **Watkins,** *op. cit.*, p. 380, qui tamen addit unicum Pontificem, *Gregorium II*, unicam exceptionem in casu particulari admisisse; de hoc casu, qui bigamiam potiusquam divortium spectat, jam diximus supra, n. 908; hic addere sufficiat alibi, in *Instructione matrimoniorum* (an. 722), eumdem Gregorium

tius I, an. 405, ad Exsuper., ep. Tolos.[1]: "De his etiam requisivit dilectio tua qui, interveniente repudio, alii se matrimonio copulârunt. *Quos in utrâque parte adulteros* esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis disassociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinârunt, neque possunt adulteri non videri". Hæc epistola sæpe a Rom. Pontificibus tanquam norma sequenda allegata est.

In Galliâ autem, Hiberniâ et Angliâ, pauca fuerunt particularia concilia quæ, regum ac civilium legum auctoritati plus æquo faventia, aliquas divortii causas admiserunt, ut adulterium incestuosum, lepram incurabilem, ingressum unius conjugis in religionem[2]. Sed cetera concilia provincialia omnem divortii causam rejecerunt atque vinculi firmitatem contra plebis mores dissolutos ac principum vexationes constanter propugnaverunt.

(c) Tandem, a tempore *Gratiani*, nullæ variationes, in Ecclesiâ *latinâ*, etiam in particularibus Conciliis, inveniri possunt. Auctoritas enim *Decreti* ubique recepta fuit; jamvero de indissolubilitate matrimonii hæc habet: "Vinculum conjugii fornicatione dissolvi non potest. Nullâ ratione dissolvitur conjugium quod semel initum probatur. Mœchatur qui a viro dimissam ducere præsumit". Nec sane nimis laudari potest indomita firmitas *Ecclesiæ*, quæ perpe-

---

aperte mentem suam exponere de perfectâ matrimonii indissolubilitate, ut videre est apud **Mansi**, t. XII, p. 259.

[1] *P. L.*, t. XX, 500.

[2] Ita *Synodus Vermeriensis* (753) et Conc. *Compediense* (756) sub Pippino rege habitum, ap. **Harduin**, t. III, p. 1990 sq., 2005 sq.; Synodus secunda *S. Patricii*, ap. **Mansi**, t. VI, p. 526, quæ, licet S. Patricio adscribi non possit, est tamen valde antiqua; *Pœnitentiale Theodori*, ap. **Haddan and Stubbs**, *Councils*, vol. III, p. 188. — Nonnulli theologi, ut *Perrone*, præfatos canones in catholicum sensum intelligere conati sunt, sed incassum, ut cuicumque eosdem attente legenti patebit. Ut unum afferamus exemplum, sic se habet can. 9 Concil. Vermeriensis: "Si qui, necessitate inevitabili cogente, in alium ducatum seu provinciam fugerit, aut seniorem suum, cui fidem mentiri non potest, secutus fuerit, et uxor ejus, cùm valet et potest, amòre parentum aut rerum suarum, eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quamdiu vir ejus, quem secuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat. Nam ille vir ejus, qui necessitate cogente in alium locum fugit, si nunquam in suam patriam se reversurum sperat, si se abstinere non potest, aliam uxorem cum pænitentiâ potest accipere." Nec mirum est pauca errâsse particularia concilia, cùm sola Ecclesia universalis, per Concilium œcumenicum aut per R. Pontificem loquens, sit infallibilis Cfr. **Perrone**, *op. cit.*, p. 323-359; **Watkins**, *op. cit.*, p. 362-437.

tuitati conjugiorum tuendæ semper intenta fuit, leges civiles de divortio palam reprobans, Protestantium hæresim de repudiis anathemate percellens, principibus potentissimis resistens, dum divortia a se facta ab Ecclesiâ approbari minaciter peterent.

"Quam ad rem, ait *Leo XIII*[1], omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium; ab Urbano II et Paschali II adversus Philippum I regem Galliarum; a Cælestino III et Innocentio III adversus Philippum II principem Galliarum; a Clemente VII et Paulo III adversus Henricum VIII; denique a Pio VII sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I, secundis rebus et magnitudine imperii exsultantem".

III. De casibus in quibus solvi potest matrimonium.

Matrimonium *fidelium ratum* et *consummatum*, ex dictis, nullâ auctoritate humanâ solvi potest; sed matrimonium ab *infidelibus* contractum, cùm non sit sacramentum, eamdem firmitatem non habet; item matrimonium fidelium *ratum* quidem, sed *non consummatum*, duplici modo solvi potest, per religiosam professionem et dispensationem S. Pontificis. De quibus nunc breviter disserendum.

1° *De privilegio Paulino*[2].

927. *Thesis :* **Matrimonium infidelium, etiam consummatum, solvi potest quoad vinculum, si, uno ad fidem converso, alter nolit cohabitare pacifice, vel sine Creatoris injuriâ aut damno spirituali fidelis.** Certum est ex declaratione *Innocentii III*[3] : "Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemiâ divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit : et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus : si infidelis discedit,

---

[1] Encycl. *Arcanum*.

[2] **S. Thom.**, *Supplem.*, q. 69, a. 5; **Sanchez**, l. VII, disp. 74; **Drouin**, l. IX, q. IV, c. 1, § 3, dic. 2; **Billuart**, Diss. V, a. 2, § 2; **Benedictus XIV**, *De Synodo*, l. VI, c. 4, n. 3; **J. Leplat**, *Collectio variarum dissertationum casum Apostoli illustrantium;* **Carrière**, n. 256 sq.; **Perrone**, l. II, sect. 1, c. 7, a. 2; **Palmieri**, th. 26-27; **Watkins**, p. 438 sq.; **Wernz**, n. 701-705.

[3] *Decretal.*, l. IV, tit. 19, c. 7.

discedat... ". — Privilegium de quo agitur vocatur *Paulinum*, utpote a S. Paulo promulgatum, aut etiam *privilegium fidei*, quia in favorem fidei fuit concessum.

928. (A) *Script.* Paulus, post promulgatam legem generalem indissolubilitatis matrimonii, hæc addit : " Nam ceteris ego dico, non Dominus [1]. Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat eam... Quod si infidelis discedit, *discedat : non enim servituti subjectus* est frater aut soror in hujusmodi " [2]. Jamvero his verbis Apostolus concedit facultatem solvendi vinculum matrimoniale pro casibus in thesi expressis. Etenim : (**a**) fideli converso Paulus concedit speciale privilegium, et quidem pro determinatis circumstantiis; atqui, si ageretur solum de separatione *a toro et mensâ*, non autem de solutione vinculi, non daretur speciale privilegium, cùm separatio sit commune remedium in simili casu ; aliunde nullâ declaratione opus est ut conjux fidelis a cohabitatione liberetur, cùm ex hypothesi impossibilis sit; ergo agitur de solutione vinculi ; (**b**) additur partem fidelem non esse amplius *subjectam servituti;* jamvero servitus hujusmodi, discessione partis infidelis jam peractâ, nihil aliud esse potest nisi ipsum vinculum matrimoniale, quod revera Apostolus infra (27) *ligamen* vocat; confirmatur ex eo quod sermo hujusmodi dirigitur ad neo-conversos, apud quos vigebat dissolutio matrimonii, non autem simplex separatio, quique proinde voce *discedat* solutionem vinculi naturaliter intelligebant ; (**c**) tandem crescit vis argumenti, si animadvertitur antithesis quam Paulus instituit inter conjugia *fidelium* de quibus dicit (11) quod si vir discesserit, mulierem *innuptam* manere debere, et *infidelium* connubia, de quibus scribit : "*quod si infidelis discedit, discedat*"; hâc enim oppositione satis ostendit in ultimo casu agi de verâ solutione vinculi [3]. Fatemur tamen argumentum non esse apodicticum, nisi accedente Ecclesiæ praxi et auctoritate.

[1] Probabilius hæc verba non ad sequentem, sed ad præcedentem sententiam referuntur, ubi Apostolus de viduis et virginibus dixerat, et sensus est ea quæ de virginitate servandâ scripsit non esse præceptum, sed consilium. Cf. **Corluy**, *Spicilegium*, vol II, p. 489. — [2] *I Cor.*, VII, 12-15.

[3] Apostolus directe non loquitur nisi de casu quo infidelis nolit cum conjuge converso habitare, sed duo postremi casus in primo includuntur : ille enim

929. (B) *Auctoritate et praxi Ecclesiæ* : (a) Patres quidem plerique de hoc siluerunt, quia ipsis hâc de re scribendi non se dabat opportunitas; nonnulli tamen, ut *S. Ambrosius S. Chrysostomus, Theophylactus*, aliique ita locuti sunt ut doctrinam supra expositam tenuisse videantur [1]. (b) *Innocentius III* (1160-1216) rem aperte declaravit, et ab ejus tempore, hæc praxis communis evasit in omnibus ecclesiis apud gentes recens conversas institutis. Jamvero praxis hujusmodi cum dogmate indissolubilitatis matrimonii connectitur, et cum bonis moribus; multoties a R. Pontificibus approbata fuit, qui regulas tradiderunt in eo casu a Missionariis servandas; ergo invictum est veritatis argumentum, cùm Ecclesia errare non possit in re tanti momenti.

930. **De exercitio privilegii Paulini.** (A) Vinculum conjugale non solvitur eo instanti quo unus conjugum ad fidem convertitur vel baptizatur [2], sed tantum cùm conjux conversus, renuente altero pacifice cohabitare, novum inivit matrimonium. Hoc enim aperte supponit *Innocent. III* (l. cit) : " quod si conversum ad fidem et illa conversa sequatur (uxor scilicet quæ prius renuerat cohabitare), antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur " ; manet igitur prius vinculum donec novum fœdus contrahatur. Ratio est quia privilegium est in gratiam solius conversi, ne cælebs manere cogatur : satis est igitur ut prius vinculum solvatur eo instanti quo novum efformatur.

Hinc si conjux infidelis ante novas fidelis nuptias matrimonium contraxerit, hoc nullum est [3].

931. (B) Ex dictis in thesi, triplici de causâ conjux conversus ad alias nuptias transire potest : (a) si infidelis renuat cum eo habitare ; (b) si velit habitare, sed non sine injuriâ Creatoris, v. g., concubinas retinendo, blasphemando, filios pagane educando; (c) si

---

moraliter discedit, qui non vult cohabitare nisi cum Creatoris injuriâ, aut pertrahendo fidelem conjugem ad peccatum.

[1] Quorum testimonia vide apud **Carrière**, n. 258, not. 1.

[2] Probabilius putamus privilegium Paulinum extendi non solum ad eos qui fidem catholicam, sed etiam ad eos qui sectam hæreticam vel schismaticam amplectuntur, dummodo valide baptizentur. Ita **Palmieri**, th. 27; **Konings**, II, p. 394, ubi asserit id a S. Sede in casu particulari agnitum fuisse.

[3] *S. Offic.*, 11 jul. 1886 ad Vicar. Apost. Natal. *Acta S. Sedis*, XXII, 477.

vult fidelem ad peccatum mortale trahere contra fidem vel mores : in his enim casibus non vult pacifice cohabitare. Potest autem conversus hoc privilegio uti non solum statim post baptismum sed etiam post plures annos, si infidelis qui prius pacifice cohabitare consenserat, mutato consilio, id amplius facere nolit[1].

Si vero pars infidelis discedat propter adulterium fidelis post baptismum commissum, non datur locus privilegio Paulino nisi ipse infidelis reus fuerit adulterii post baptismum partis conversæ; nam privilegium in favorem fidei, non in favorem delicti concessum est[2].

932. (C) Pars conversa non potest, sine dispensatione, novas inire nuptias nisi cum aliâ parte *catholicâ :* si cum infideli contrahit, matrimonium *invalidum* est propter disparitatem cultûs; si cum parte hæreticâ vel schismaticâ, matrimonium est quidem validum, sed *illicitum* propter impedimentum mixtæ religionis.

(D) Si fidelis, obtentâ dispensatione, matrimonium cum infideli inierit, non potest uti privilegio Paulino, quia sponte sese tali periculo exposuit, nec proinde conqueri potest. Insuper si alteruter conjugum in hæresim vel apostasiam labatur, non potest fidelis conjux ad secundas nuptias convolare, ut expresse declaratur ab *Innocentio III* (l. cit.), quia matrimonium a fidelibus contractum et consummatum nullâ auctoritate humanâ solvi potest.

(E) Ut sciatur num infidelis velit converti, vel saltem pacifice cohabitare, *interpellatio* quædam requiritur, saltem quoties fieri possit, ut novum matrimonium possit non solum licite, sed etiam *valide* contrahi. Ita communiter contra paucos[3]. Ratio est quia fidelis, antequam iterum nubat, certior esse debet de contumaciâ infidelis; atqui regulariter de hoc certior esse nequit nisi per interpellationem.

933. **Ampliatio privilegii Paulini.** Romani Pontifices aliquando concesserunt matrimonium dissolvi occasione conversionis unius e conjugibus, vel etiam utriusque, in casibus quos difficillimum est ad privilegium Paulinum reducere. 1) *S. Pius V* Indis paganis ad fidem conversis permisit cum eâ uxore manere quæ simul cum marito baptizata

[1] Ita *S. Offic.*, 5 aug. 1759, ap. *Collect. P. F.*, n. 421 (1312).

[2] Ita *S. Offic.*, 1 aug. 1759; 17 jan. 1797, ap. **De Angelis**, l. c., n. 7.

[3] **Ballerini P.** (n. 438 sq.) putat hanc interpellationem requiri ad liceitatem, non autem ad validitatem novi matrimonii. Sed Rom. Congregationes in particularibus casibus irritum declararunt matrimonium sine interpellatione contractum, ap. **Gasparri**, n. 1090. Hinc si casus occurrat, juxta Instruct. *S. C. de Prop. Fide* (ad calcem *C. Plen. Balt. III*, p. 278), Ordinarius judicium suspendere debet, et casum cum omnibus suis circumstantiis ad S. Sedem remittere.

fuerit, etiamsi hæc non fuerit prima inter plures uxores, immo etiamsi prima uxor (legitima), sed non conversa, pacifice cohabitare consentiret, declaravitque matrimonium hujusmodi esse legitimum [1]. 2) *Gregorius XIII* permisit Indis, qui, post contracta gentili ritu matrimonia in Angolâ, Æthiopiâ et Brasiliâ, ab hostibus in remotissimas regiones exulabantur, posteaque ad fidem convertebantur, matrimonium contrahere legitimum cum quovis fideli, etiam superstite conjuge infideli et ejus consensu minime requisito, aut responso non exspectato, etiamsi postea constiterit conjugem absentem baptismo regeneratum esse tempore transacti secundi matrimonii [2]. 3) Indulta quibus dispensatur aliquo modo ab interpellatione quibusdam aliis regionibus concessa fuerunt.

Ita in *Statibus Americæ Fœderatis* Episcopi facultatem habent dispensandi cum infidelibus, plures uxores habentibus sive simultanee (ut apud Mormones), sive successive (propter civile divortium), ut, post conversionem et baptismum, illam uxorem retineant quæ sibi magis placuerit, si et ipsa baptizetur, dummodo prima uxor rite interpellata converti noluerit; in hoc casu igitur facultatem habent dispensandi a secundâ parte interpellationis "num velit pacifice cohabitare".

In his variis casibus supponitur matrimonium, in infidelitate initum, non fuisse consummatum post baptismum ab alterutro receptum.

934. **Explicatio privilegii Paulini.** Controvertitur inter theologos *quo jure* matrimonium infidelium solvatur in præfatis casibus, utrum *jure divino* an *potestate pontificiâ?*

(A) Non pauci, quibus favere videtur *Benedictus XIV* [3], putant matrimonium infidelium solvi *jure divino*, prout a S. Paulo promulgatum est. (a) Hìc enim agitur de *divinâ lege* indissolubilitatis matrimonii, cui solus Deus exceptiones apponere valet. (b) Aliunde facta allegata ad casum Paulinum satis facile reduci possunt : agitur enim tantummodo de *dispensatione* ab interpellatione faciendâ, quæ sane a Pontifice concedi potest, quando hæc interpellatio est valde difficilis, et in casibus allatis. (c) Quam opinionem suam fecisse

[1] *Romani Pontificis*, 2 aug. 1571.
[2] *Populis ac nationibus*, 25 jan. 1585.
[3] *De Synodo*, l. VI, c. 4, n. 3; l. XIII, c. 21. — Cfr. **Schmalzgrueber**, l. IV, t. XIX, n. 69; **Vasquez**, *De matrimonio*, disp. II, c. VI, n. 602; **Ph. de Angelis**, l. IV, t. XIX, p. 327 sq.

videtur *S. Officium* : "Matrimonium etiam in infidelitate contractum naturâ suâ est indissolubile, et tunc solum quoad vinculum dissolvi potest virtute privilegii in favorem fidei a Christo Domino concessi, et per Apostolum Paulum promulgati"[1].

(**B**) *Multi* tamen, hodie præsertim, docent matrimonium infidelium solvi *supremâ auctoritate S. Pontificis*, per *ministerialem potestatem* quâ Ecclesia, ob bonum publicum, dispensare potest in certis rebus in quibus *per factum humanum obligatio divini juris* fuit inducta, prout fit in votis et juramentis[2]. (**a**) Casus enim allati non sunt mera interpretatio, sed vera *ampliatio* Paulini privilegii : Apostolus enim non loquitur nisi de casu quo pars infidelis *discedit* seu non vult pacifice cohabitare, dum Pontifices novum matrimonium contrahere permittunt etiam quando pars infidelis pacifice vult cohabitare, immo quando ad fidem conversa est, si moraliter impossibile est eam interpellare. Hi igitur sunt casus plane diversi. (**b**) Aliunde *privilegium Paulinum* non est proprie exceptio seu dispensatio *divina*, sed privilegium quod Paulus ipse *apostolicâ* suâ auctoritate concedit, ut patet ex verbis : " Nam ceteris *ego dico, non Dominus* "[3]. Jamvero quod Paulus apostolicâ fecit auctoritate Sedi Apostolicæ denegari nequit[4].

Nec dici potest Ecclesiam non posse a lege divinâ dispensare. — Nam, ut recte animadvertit *Card. Billot*, hìc agitur non de lege divinâ ipsâ, sed de *obligatione divini juris per factum humanum inductâ;* atqui "humana deliberatio nequit omnia circumspicere, nec prævidere omnes circumstantias in quibus contingere poterit ut minus opportuna sit vel congrua observatio ejus quod voto promittitur, vel juramento firmatur, vel contractu sancitur; unde ad bonum christianæ societatis expediebat ut in his, per Christi vica-

---

[1] Ad Vicar. Apost. Natal., 11 jul. 1886, ad 8, *A. S. S.*, XXII, 748.

[2] **Navarrus**, *Lib. III Conciliorum*, De convers. infidel., consil. 3, n. 13; **Sanchez**, *De matrim.*, l. II, disp. XVII; **Layman**, l. II, tit. II, n. 5; **Pirhing**, l. IV, t. I, n. 146; **S. Alphonsus**, l. VI, n. 956; **Palmieri**, th. 26; **Card. Billot**, th. 44.

[3] *I Cor.*, VII, 12. — Quæ tamen verba ad præcedentem, non ad sequentem sententiam probabilius referuntur.

[4] Ita arguunt undecim theologi et canonistæ Soc. Jesu, inter quos *Bellarminus*, *Azor*, *Gonzalez*, in disputatione Apostolicæ Sedi exhibitâ, quâ R. Pontifici vindicatur potestas solvendi matrimonium consummatum infidelium. Cfr. **Zitelli**, *De dispensat. matrimon.*, p. 183-197; **Card. Gasparri**, in *Canoniste*, t. XIV, p. 481-489.

rios, dari posset quandoque, pro exigentiâ particularium adjunctorum, dispensatio "[1].

Conclusio. Utraque opinio manet probabilis; posterior tamen multo probabilior videtur, utpote factis allatis magis consona.

2° *De dissolutione matrimonii rati fidelium* [2].

935. *Thesis :* **Matrimonium fidelium ratum, et non consummatum, solvitur per sollemnem alterius conjugum professionem in religione approbatâ, vel per dispensationem a S. Pontifice gravi de causâ concessam.**

(**A**) Prima pars definita est a *Tridentino* [3] : " Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per sollemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, A. S." Probatur : (**a**) ex disertis declarationibus *Alexandri III* (1180) et *Innocentii III* (1210) qui scribit [4] : " Nos tamen nolentes a *prædecessorum* nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, relicto inconsulto, ad religionem transire, ita quod ex tunc legitime poterit alteri copulari "; ex quo patet hanc doctrinam ante sæc. XII fuisse receptam, cùm S. Pontifex ad suos prædecessores appellet. (**b**) Ex *praxi Ecclesiæ :* certum est enim, jam a sæc. XII, hanc praxim communiter in Ecclesiâ viguisse, approbantibus Episcopis et R. Pontificibus; jamvero quod frequentatur in universâ Ecclesiâ, et ad fidem moresque pertinet, erroneum esse nequit.

Notandum. (**a**) Matrimonium ratum solvitur tantum per *sollemnem professionem* in Religione a S. Sede approbatâ ad vota sollemnia edenda; et quidem *libere* factam, post integrum probationis annum, et adeptâ ætate canonicâ; proindeque non per votum simplex castitatis, nec per ordinis sacri susceptionem, neque per vota emissa in congregatione a S. Sede non approbatâ; nec per profes-

[1] *De Sacram.* [4], t. II, p. 424.

[2] **S. Thom.**, *Sup.*, q. 61; **Sanchez**, l. II, disp. 18-23; **Drouin**, q. IV, c. 3, § 1; **Billuart**, diss. V, a. 2, § 4; **Carrière**, n. 302 sq.; **Perrone**, l. III, sect. 2, cap. 6, a.; **Palmieri**, th. 25; **de Augustinis**, th. 10; **De Angelis**, l. c., n. 12; **Gasparri**, n. 1081-1092; **Lehmk.**, n. 703-704; **Baller. P.**, n. 476-488 ed. 3; **Wernz**, *op. cit.*, n. 698-700.

[3] Sess. XXIV, can. 6.

[4] *Decretal.*, lib. III. tit. 32, cap. 14; cfr. cap. 2.

sionem simplicem, nec etiam per vota *simplicia* in Societate Jesu emissa.

(b) Duo menses a jure conjugibus conceduntur ad deliberandum de ingressu religionis; quo tempore non tenentur ad reddendum debitum : quod certum est si de ingrediendâ religione cogitant, et valde probabile etiamsi de hoc non deliberent. Si, durante bimestri, mulier *invita* per vim a viro carnaliter cognita fuerit, vir non potest ad secundas convolare nuptias, quia matrimonium libere ab eo consummatum jam indissolubile evasit; sed mulier istâ violentiâ non privatur jure suo ingrediendi Ordinem religiosum. — Præterito bimestri, privilegium religionem ingrediendi integrum manet, quamdiu matrimonium non est consummatum, etiamsi culpabiliter copula denegata fuerit.

(c) Tandem matrimonium non solvitur nisi *eo tempore quo emittitur sollemnis professio;* ideoque conjux in sæculo manens nec licite nec valide novas contrahit nuptias ante alterius professionem.

936. (B) Potestas S. Pontifici competens solvendi matrimonium simpliciter ratum, licet a nonnullis antea negata, hodie certa evasit Ecclesiæ praxi; constat enim, jam a tempore *Martini V* (1417), potestatem dissolvendi matrimonia rata, propter graves rationes, fuisse a multis Pontificibus exercitam [1] et etiam diebus nostris exerceri, ut constat ex *Actis S. Sedis*, ubi quolibet anno nonnullæ hujusmodi dispensationes a matrimonio rato concessæ leguntur. Jamvero dicere nefas est R. Pontifices hanc potestatem usurpâsse, præsertim cùm sic agendo injuriam sacramento irrogâssent, et adulteria permisissent. Concludendum est igitur cum *Benedicto XIV* [2] : " Nullam de potestate S. Pontificis moveri amplius posse quæstionem in eo quod attinet ad dispensandum super matrimonio rato et non consummato, cùm hodie opinio affirmativa sit communis inter theologos et canonistas, et in praxi sit recepta, ut notorium est ".

937. **Controversia.** Disputatur inter theologos *quo jure* matrimonium ratum professione religiosâ solvatur, jure scilicet naturali, divino positivo, an ecclesiastico?

(a) Quidam, cum *Bellarmino*, putârunt id fieri *jure divino naturali*, nam jure naturæ, de statu minus perfecto ad perfectiorem transire

[1] Cfr. S. **Antoninus**, *In Sum. theol.*, p. III, t. I; **Navarrus**, *Enchir.*, c. 22 **Perrone**, vol. III, p. 471, ed. 1861. — [2] *Quæst. Canon.*, 479.

licet, si absque alterius detrimento id fieri possit. Quæ tamen opinio communiter rejicitur; non licet enim, ex lege naturæ, perfectiorem inire statum, cùm obligatio jam suscepta huic statui adversatur; ita, quamvis Episcopatus sit status matrimonio perfectior, non licet eum suscipere, invito conjuge, nec ejus susceptione solvitur matrimonium ratum.

(b) Alii asserunt, cum *Benedicto XIV*[1], dissolutionem fieri *jure divino positivo*, quatenus legi indissolubilitatis Christus exceptionem apposuit in gratiam statûs religiosi, prout vidimus unam appositam matrimonio infidelium. — Objiciunt quidam sollemnitatem religiosæ professionis ab ipsâ Ecclesiâ institutam fuisse ideoque non esse juris divini. Sed difficultas evanescit, si admittatur matrimonium solvi *jure partim divino*, *partim ecclesiastico*. Res sic concipi potest : Christus in communi tantum determinavit matrimonium solvi posse per statum religiosum, Ecclesiæ potestatem relinquendo determinandi *in specie* conditiones quæ statum religiosum constituant, proindeque matrimonium ratum dirimant; sic enim intelligitur quomodo, ita statuente Ecclesiâ, vota sollemnia non autem simplicia hunc producant effectum.

938. (c) Tertia tandem opinio tenet matrimonium solvi *auctoritate pontificiâ* seu *per ministerialem illam potestatem*, quâ Ecclesia dispensat a voto, juramento, aliisque impedimentis, propter gravem necessitatem, ut jam supra expositum est, n. 934.

Quæ sententia valde probabilis est, et sufficienter explicat cur matrimonium hujusmodi non solum per professionem religiosam, sed etiam per dispensationem Pontificis solvi possit, licet nil hâc de re explicite in Scripturâ aut primævâ Traditione inveniatur.

939. *Objicitur* quidem his exceptionibus perimi indissolubilitatem matrimonii. Sed immerito : 1) hìc enim agitur tantum de matrimonio *rato*, proindeque mala quæ ex divortio consequuntur ex parte conjugum et prolis hìc non verificantur; 2) dissolutio fit non auctoritate privatâ, sed a Romano Pontifice, et nonnisi gravibus de causis; in casu sollemnis professionis, pauca incommoda quæ forsan exinde sequuntur, compensantur per excellentius bonum vitæ religiosæ, nec aliunde timendum est multos fore qui voluptatibus renuntient ut religionis austeritates amplectantur. Non periclitatur ergo his paucis exceptionibus matrimonii indissolubilitas[2].

---

[1] Benedict. XIV, *Quæst. can. et moral.*, q. 546.

[2] Pisani, *L'Eglise et le divorce*, in *Le Correspondant*, 10 oct. 1904, p. 20-46.

Corollaria.

Ex doctrinâ de naturâ et proprietatibus matrimonii duo fluunt consectaria : 1° *matrimonii honestas;* 2° *virginitatis excellentia.*

940. 1° *Matrimonium sive ratum sive consummatum est in se opus honestum et laudabile.* Certum est contra Gnosticos, Manichæos aliosque supra citatos [1].

(A) *Script.* Id enim bonum et laudabile est quod Deus ipse instituit, Christus confirmavit et Apostoli commendârunt; atqui ita de Matrimonio; (a) *Deus* siquidem illud *instituit*, tum protoparentes sexu diversos creando, tum eos arcto fœdere sociando ut prolem procrearent : " Masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis et ait : Crescite et multiplicamini " [2]. Immo aliquando idem præcepit, jubendo fratrem accipere uxorem fratris sui defuncti, ut suscitet semen fratri suo [3]. (b) Id *Christus confirmavit* tum nuptiis Canæ assistendo, tum contractum matrimonialem ad dignitatem sacramenti evehendo, tum eumdem ad pristinam indissolubilitatem revocando [4]. (c) Idem *commendârunt Apostoli;* ita S. Paulus matrimonium vocat *honorabile* [5]; ait eum qui matrimonio jungit virginem bene facere, et conjugibus præcipit ut debitum reddant [6]; juniores viduas admonet ut nubant, et doctrinam prohibentium nubere reprobat [7].

(B) Speciale *traditionis* argumentum non instituimus, cùm ab omnibus agnoscatur Patres non solum obiter sed diserte in suis operibus honestatem matrimonii propugnavisse. Adeantur, si tempus adsit, *Tertullianus*, contra Marcionitas et ad Uxorem; *Clemens Alex.*, l. III Stromat.; *S. Hieronymus*, in libris contra Jovinianum; *S. Augustinus*, de Bono conjugali, de Nuptiis, etc.

941. (C) *Rat. theol.* Id profecto bonum et laudabile est quod necessarium est ad humanæ speciei propagationem,

---

[1] **S. Thom.**, *Supp.*, q. 41 ; **Drouin**, l. IX, q. II; **Carrière**, p. II, c. II; **Billuart**, disp. I, a. 2; **Palmieri**, th. 2; **Billot**, th. 39.

[2] *Gen.*, I, 27-28; cf. II, 21-24. — [3] *Deut.*, XXV, 5. — [4] *Joan.*, II, 1 sq.; *Matth.*, XIX, 4 sq. — [5] *Hebr.*, XIII, 4. — [6] *I Cor.*, VII, 3, 38. — [7] *I Tim.*, V, 1-3, 14.

est in se opus nobile, et aliunde bono fine cohonestari potest; atqui matrimonium : (a) in præsenti rerum ordine, quatenus ab ipso Deo constitutum est, ad humanæ speciei conservationem et propagationem *necessarium* est; (b) est in se opus *nobile*, cùm conjuges, rei maritali operam dando, simul cum Deo corpus humanum procreent, in quod infunditur anima rationalis : quod opus ipsi creationi affine est; (c) tandem *bono fine* honestari potest, v. g., *religionis* virtute, ut proles ad Dei cultum procreetur, *patriæ* amore, ut cives generentur qui Statui præsidio sint, *justitiæ* motivo, ut debitum reddatur, vel etiam intendi potest tanquam *concupiscentiæ remedium*.

Verum est quidem matrimonii usum sæpe sine aliquâ libidine non esse; sed hoc est *per accidens*, et aliunde talis voluptas non est mala nisi ita dominetur ut ceteros fines honestos excludat : quod quidem vitio vertendum est non ipsi matrimonio sed iis qui eo abutuntur[1].

942. 2° *Status virginitatis vel cælibatus, pro Deo susceptus, præstantior est statu matrimoniali.* De fide est ex *Trident.*[2]: "Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cælibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quam jungi matrimonio, A. S."

Quæ propositio dirigitur contra *Jovinianum* (IV sæc.), et *Novatores* qui contenderunt nuptias virginitati vel æquiparandas vel etiam anteponendas esse. Ut propositio recte intelligatur, notandum est comparationem institui inter *statum* virginitatis et statum *conjugalem*, non inter personas qui in utroque statu versantur : possunt enim dari conjugati qui nonnullis virginibus perfectiores

[1] Sanctitatem et felicitatem christianorum conjugum sic præclare describit Tertullianus (*ad Uxorem*, II, 9, *P. L.*, t. I, p. 1302) : "Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio. Atqui vere duo in carne unâ; ubi una caro, unus et spiritus. Simul orant, simul volutantur et simul jejunia transigunt, alterutro docentes, alterutro hortantes, alterutro sustinentes. In Ecclesiâ Dei pariter utrique, pariter in convivio Dei, pariter in angustiis, in persecutionibus, in refrigeriis; neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis est; libere æger visitatur, indigens sustentatur; eleemosynæ sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento; non furtiva signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio; sonant inter duos psalmi et hymni, et mutuo provocant quis melius Deo suo cantat. Talia Christus videns et audiens gaudet, his pacem suam mittit; ubi duo, ibi et ipse; ubi et ipse, ibi et malus non est". — [2] Sess. XXIV, can. 10.

sint. Præterea cælibatus de quo agitur, non est solum carentia vinculi conjugalis, quæ nonnunquam cum vitâ flagitiosâ componitur, sed cælibatus *pro Deo* susceptus, quo vita ducitur a voluptatibus carnis exempta.

(A) *Script.* (a) Cùm Christus Apostolis exposuisset varia matrimonii onera ex ejus indissolubilitate orientia, hi exclamârunt : " Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere "; hanc autem occasionem arripiens Salvator, asserit quosdam virginitatem colere propter Deum, nec tamen omnes hujusmodi verbum capere, propter ejus sublimitatem : " Et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum : qui potest capere, capiat " [1]. Porro hæc important statum virginitatis excellentiorem esse conjugali statu : sic enim, juxta *S. Hieronymum* [2], intelligi possunt verba Christi : " Mihi illi eunuchi placent, quos castravit non necessitas, sed voluntas : libenter illos in meos sinus recipio, qui a nuptiis abstinuerunt propter regnum cælorum, et ob mei cultum noluerunt esse quod nati sunt... Grandis fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino, et, juxta Apostolum, esse sanctum corpore et spiritu ".

(b) Idem magis diserte Apostolus docet [3]; licet enim honorifice de matrimonio scribat, virginitatem tanquam aliquid melius, per modum consilii proponit : " Bonum est homini mulierem non tangere (1)... volo enim omnes vos esse sicut meipsum (7)... dico autem non nuptis et viduis : bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego (i. e. sine uxore) (8)... Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori et divisus est (32)... Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit *melius facit* " (38). Hæc adeo clara sunt ut Protestantes ea detorquere nitantur, asserentes Apostolum ibi loqui solum *hypothetice*, putantem scilicet secundum Domini adventum jam prope esse (29); sed frustra, nam ratio allata, videlicet eum *qui sine uxore est sollicitum esse eorum quæ Domini sunt*, in omnibus locis et

[1] *Matt.*, XIX, 9-12.
[2] *Contra Jovin.*, l. I, c. 7, n. 12, *P. L.*, XXIII, 228. — [3] *I Cor.*, VII, 1-40.

temporibus vera manet, et luculenter demonstrat virginitatis statum Dei servitio magis aptum esse.

Hæc est etiam aperta Patrum doctrina, ut ex eorum operibus videre est : cfr. *S. Cyprianus*, de habitu Virginum; *S. Ambrosius*, de Virginibus; *S. Hieronymus*, contra Jovinianum; *S. Augustinus*, de sanctâ virginitate, etc.

943. (B) *Rat. theol.* Is enim status excellentior est statu conjugali, in quo bonum divinum præfertur bono humano, et bonum animæ bono corporis; atqui virginitas ordinatur ad bonum Dei, propter cujus amorem carnis voluptates etiam licitæ libere despiciuntur; et ad bonum animæ, cùm eam disponat ad vitam contemplativam, ad orationem et considerationem eorum quæ sunt Dei [1]; dum conjugium ordinatur ad bonum corporis, quod est multiplicatio generis humani, et pertinet ad vitam activam, quâ vir et mulier in matrimonio viventes necesse habent cogitare quæ sunt mundi. Hinc Christus virginem matrem elegit, virginitatem ipse perpetuo coluit, virginem discipulum præ ceteris dilexit, eique soli virginem matrem in cruce moriens commendavit, exemplo suo manifeste ostendens majoris pretii esse statum virginalem quam conjugalem [2].

944. *Solvuntur difficultates.* (A) Matrimonium est *sacramentum*, proindeque virginitate præstantius, quæ sacramenti rationem non habet.

Resp. Hic comparamus *statum* virginitatis cum *statu* conjugali, non cum sacramento Matrimonii; aliunde quamvis Matrimonii sacramentum gratias *ex opere operato* conferat, non exinde sequitur illud esse virginitate melius : hujusmodi enim gratiæ dantur propter pericula et onera conjugii, quæ in virginali statu desunt; præterea, loco gratiarum, quas conjuges sacramento Matrimonii accipiunt, virgines multo majores obtinere valent propter ferventes actus amoris et devotionis quos, teste Apostolo, longe facilius eliciunt quam nupti.

(B) Cælibatus intra fines *boni privati* sese continet proindeque minus utilis est quam status matrimonialis.

Resp. Multum ad commune societatis bonum cælibatus confert tum per modum exempli, docendo quomodo refrænentur indomitæ passiones, ex quibus sanctitas matrimonii periclitatur; tum

[1] Hinc S. Thom. (*Opusc. de perfect. vitæ spiritualis*), docet eos præsertim a matrimonio abstinere debere qui ad perfectionem tendunt, "quia per hoc homo maxime curis sæcularibus implicatur" et maxime conjugali affectu irretitur.

[2] S. Thom., 2. 2., q. 152, a. 4.

hominem continentem efficiendo aptissimum ad opera caritatis exercenda, videlicet pauperum, orphanorum ac infirmorum curam, aut parvulorum educationem, etc.; tum etiam in memoriam revocando patriam cælestem, ubi neque nubent neque nubentur.

(C) Nec dicatur, cum Protestantibus multis, continentiam esse *moraliter impossibilem*, ideoque eos qui virginitatem vovent, in laqueum diaboli incidere. Nam continentiam diu servare valde difficile est quidem, immo moraliter impossibile iis qui media a Christo proposita respuunt, non autem iis qui periculosas occasiones fugiunt, carnis mortificationi, studio vel labori operam dant, simulque orationi assidue vacant, ac sacramenta, præsertim Eucharistiam, frequenter recipiunt; his enim mediis concupiscentia efficaciter frenatur. Quod candide agnoscebat protestans *Leibnitz*[1]: "Clerici et religiosi firmiter habeant persuasum, quod, ad continentiam servandam, vix opus est aliâ re, quam devitare otiositatem et periculosas occasiones, et habere voluntatem firmam, cujus gratiam Deus non denegat postulanti eam ferventi studio". Revera, inter ipsos Protestantes, nonne sunt vidui et viduæ innuptæque virgines, quibus obligatio diu continentiam servandi incumbit? Numquid præsumere licet hos omnes vitio deditos esse! Si non liceat, cur catholici sacerdotes vel alii qui propter Deum virginitatem vovent, tanquam incontinentiæ rei insimulantur?

Caput ij.

DE MATRIMONIO UT SACRAMENTO.

945. Matrimonii contractus, apud multos populos, aliquid sacri et religiosi præ se fert, et sæpe sacris ritibus celebratur[2]. Christus vero eumdem ad dignitatem sacramenti evexit, ita ut, apud Christianos, sit signum non solum *sacrum*, sed etiam *gratiæ* productivum.

Quatuor declarabimus : 1° *existentiam* hujus sacramenti; 2° ejus *naturam;* 3° *effectus;* 4° per modum *corollarii*, *potestatem leges ferendi* circa matrimonium.

---

[1] *Systema theolog.*, n. 66. — Quod jam animadverterant S. Gregor. Naz., *Orat.* 31; SS. Chrysost. et Hieronymus, in cap. XIX *Matt.*, S. August., *Confess.*, l. VI, cap. XI; cfr. M. Rosset, *op. cit.*, t. I, n. 398 sq.

[2] P. Sauzet, *Réflexions sur le Mariage civil et le Mariage religieux*, Lyon, 1853, p. 11 sq.; Glasson, *le Mariage civil et le Divorce dans l'antiquité*, Paris, 1880, p. 139 sq.; R. Lemaire, *Le Mariage civil*, Paris, 1904, p. 4-15.

§ I. De existentia sacramenti Matrimonii [1].

I. Thesis exponitur ac probatur.

946. (A) *Errores.* (a) Olim *Gnostici* et *Manichæi* nuptias ut malas damnârunt, utpote concupiscentiæ incentivum et medium quo propagatur originale peccatum. (b) *Protestantes* longe sunt quidem ab errore *prohibentium* nubere, cùm nuptias supra virginitatem extollant, sed communiter negant, *Ritualistis* exceptis, matrimonium esse sacramentum. *Lutherus* siquidem ait [2] : " Matrimonium novæ Legis sacramentum non est, cùm ipsi desit divina promissio "; *Calvinus* [3] autem affirmat non magis nuptiis rationem sacramenti convenire quam agriculturæ vel arti sutoriæ, neque ut sacramentum habitas fuisse ante Gregorii I tempora [4]. (c) *Modernistæ*, post *Liberales*, dicunt [5] : " Matrimonium non potuit evadere sacramentum novæ legis nisi serius in Ecclesiâ; siquidem, ut matrimonium pro sacramento haberetur, necesse erat ut præcederet plena doctrinæ de gratiâ et sacramentis theologica expolitio ".

947. (B) *Doctrina Ecclesiæ.* (a) *Ante Christum*, matrimonium non fuit quidem sacramentum gratiæ productivum, immo nec inter sacramenta veteris Legis recensebatur; sacramentum tamen vocatum est a nonnullis Patribus, sed *latiori sensu*, quatenus erat signum rei sacræ, videlicet futuræ conjunctionis Christum inter et Ecclesiam; nam, juxta Patrum doctrinam, Adam sopore correptus [6] Christum in cruce morientem repræsentabat, Eva Ecclesiam ex ejus latere manantem; sicut relinquit homo patrem et matrem

---

[1] S. Thom., *Suppl.*, q. 42, a. 1-3; Bellarminus, *de sacr. Matrimonii*, c. 1-5; Sanchez, l. II, disp. 10; Drouin, l. X, *de sacr. Matrim.*, q. 1; Liebermann, cap. II, a. 1; Perrone, *de Matrim. christ.*, l. I, sect. I, c. 1; Carrière, *De Matrimonio*, p. I, sect. 2, c. 1; Palmieri, c. II, th. 7-9: de Augustinis, a. 1; Billot, th. 36.

[2] *De Capt. Babyl.*, § de Matrim. — [3] *Instit.*, l. IV, c. 19, n. 34.

[4] Moderni Protestantes libenter agnoscunt Matrimonium *religiosam* esse institutionem, sed plerique negant illud esse sacramentum. *Ritualistæ* tamen illud agnoscunt tanquam unum e minoribus sacramentis : " *Liber Homiliarum* de ipso tamquam de sacramento loquitur, quod virum et mulierem æterni amoris ligamine vincit. Ex eodem libro eruitur, matrimonium quoddam esse vitæ genus a Deo, cùm adhuc homo innocentiâ fruebatur, institutum; mysticam Jesu Christi et Ecclesiæ unionem exprimere; Canæ nuptiâs in Galilæi, Christi præsentiâ, primoque ejus tunc peracto miraculo cohonestatum. Jure igitur ac merito inter nos *matrimonii sacramentum* dicitur ". (Morgan Dix, *Sacramental System*, p. 87-88).

[5] Quæ propositio reprobata est in decr. *Lamentabili*, n. 51.

[6] *Gen.*, II, 18.25.

et adhæret uxori suæ, ita Verbum quodammodo reliquit Patrem ut Ecclesiæ adhæreret; sicut conjuges duo sunt in carne unâ, sic Verbum caro factum est, ita ut ex unione ejus cum carne unica exsurgeret persona; sicut ex Adamo et Evâ nati sunt homines, ita ex Christo et Ecclesiâ quotidie nascuntur spirituales filii. (b) *Christus* autem matrimonialem contractum evexit ad dignitatem sacramenti proprie dicti, ut ex sequenti thesi patebit.

948. *Thesis :* **Matrimonium inter Christianos legitime celebratum, est proprie dictum sacramentum.** *De fide est ex Trident.*[1] *:* " Si quis dixerit Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesiam invectum, neque gratiam conferre, A. S. "

Scripturâ non probatur quidem, sed *innuitur.* 1° *In Evangelio* non invenitur quidem explicita Christi declaratio de institutione sacramenti matrimonii, sed ex iis quæ protulit de *unitate* et *indissolubilitate* vinculi matrimonialis mens ejus probabiliter inferri potest[2].

Interrogatus enim a Pharisæis num liceret uxorem dimittere quâcumque ex causâ, in memoriam eorum revocat verba Genesis de unitate et de indissolubilitate matrimonii. His autem objicientibus divortium a Moyse fuisse permissum, ait : " Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic ". Quapropter novam legem promulgat de indissolubilitate matrimonii : " Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur; et qui dimissam duxerit mœchatur ". Hanc legem ipsi discipuli nimis arduam esse putant : " Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere ".

Christus itaque *unitatem* et *indissolubilitatem* vinculi matrimonialis non a paucis, sed *ab omnibus* exigit. Id autem sapienter postulare nequit, nisi *gratiam* infundat necessariam ad præstandum id quod vires humanas communiter superat. Revera divortium aut saltem privilegium pro viro uxorem repudiandi apud omnes fere populos vigebat, et, ob naturalem cordis humani inconstantiam, tanquam naturale et necessarium habebatur : ex communiter enim

[1] Sess. XXIV, can. I. — [2] *Matth.*, XIX, 1-10.

contingentibus, tanquam moraliter impossibile censebatur uni uxori per totam vitam adhærere. Atqui datâ Legis novæ œconomiâ, gratia, quæ necessaria est pro permanenti vitæ statu, per sacramentum conferri solet. — Illatio ex doctrinâ Apostoli confirmatur.

949. 2° *S. Paulus* de mutuis conjugum officiis agens, ut conjuges efficacius ad eadem implenda inducat, exemplum affert unionis Christi cum Ecclesiâ : " Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino. Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ : ipse salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret... ut sit sancta et immaculata. Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit : sed nutrit et fóvet eam, sicut et Christus Ecclesiam. Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne unâ. *Sacramentum* hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ " [1]. Jamvero, ex his Apostoli verbis, Matrimonium christianum : (a) est *signum sacrum ;* (b) *signum gratiæ ;* (c) *gratiamque valde probabiliter producit*, et ita est vere et proprie sacramentum.

(A) Matrimonium christianum *aliquid sacri significat*, videlicet *unionem Christi cum Ecclesiâ.*

Etenim Apostolus christianos conjuges hortatur ut uxores sint viris subditæ, sicut Ecclesia Christo (*Ephes.*, V, 22-24), et ut viri uxores diligant sicut Christus Ecclesiam (25-28), quia eodem modo quo vir est caput uxoris et uxor viri corpus, Christus est caput Ecclesiæ et Ecclesia Christi corpus (23). Unde quæ Adamus de Evâ pronuntiavit, ipsam esse os de ossibus ejus et carnem de carne ejus, æque vera sunt de Ecclesiâ relative ad Christum; nam membra sumus corporis Christi, de carne ejus et de ossibus ejus (30). Sicut igitur relinquit homo patrem suum et matrem suam et adhæret uxori suæ, et sunt duo in carne una (31), ita Filius Dei relinquit sinum Patris et adhæret Ecclesiæ per gratiæ communicationem,

[1] *Ephes.*, V, 22-32.

et cum Ecclesiæ membris unum corpus mysticum constituit. Hoc est sacramentum id est, juxta vim græcæ vocis, μυστήριον, mysticum signum, et magnum quidem, tum quia magnam rem significat, nempe sponsum Christum et sponsam Ecclesiam; tum quia miro modo hanc sacratissimam rem significat (32). Ergo matrimonium Christianorum aliquid sacri significat.

950. (B) Est *signum gratiæ sanctificantis;* nam significat unionem Christi cum Ecclesiâ; atqui hæc unio per gratiam sanctificantem perficitur, juxta illud Apostoli : " Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro eâ, ut illam *sanctificaret*" (25-26); et revera unio Christi cum Ecclesiâ fructus sanctitatis profert; ergo matrimonium christianum significat gratiam sanctificantem.

(C) Tandem matrimonium christianum *producit gratiam sanctificantem quam significat.* Quod S. Paulus *non aperte docet, sed innuit.* Nam matrimonium christianum exhibetur ut unio *supernaturalis* et *permanens :* (a) *supernaturalis*, quia mutua conjugum officia, qualia ab Apostolo describuntur, supernaturalia sunt ex *exemplari* quod proponitur, videlicet dilectione Christi erga Ecclesiam atque Ecclesiæ devotâ subjectione erga Christum; (b) *permanens*, nam dilectio et obedientia, quas Apostolus præcepit christianis conjugibus, imitari debent dilectionem Christi ac Ecclesiæ subjectionem, quæ sunt aliquid *constans* et *permanens.* Atqui unio conjugum non potest esse supernaturalis sine gratiâ, neque permanenter supernaturalis sine gratiâ habituali, cui gratiæ actuales adnectantur, præsertim cùm talis unio permanens specialem difficultatem præ se ferat, ob inconstantiam humanæ naturæ, ut supra notatum est, n. 948. Ergo matrimonium christianum requirit *gratiam habitualem*, simul cum jure ad gratias actuales. Porro, attentâ Legis novæ œconomiâ, gratia sanctificans, cum jure ad gratias actuales, conferri solet per specialem *ritum sacramentalem*, qui gratiam non solum significet, sed producat. Ergo matrimonium christianum valde probabiliter gratiam sanctificantem vere producit; ergo est vere sacramentum N. Legis.

951. *Objici* potest : Jam ab Adami tempore, matrimonium fuit signum unionis Christi cum Ecclesiâ; ergo ab Adami tempore contulit gratiam. Atqui falsum consequens, ergo et antecedens.

Resp. Ab initio matrimonium fuit solummodo signum *futuræ* unionis Christi cum Ecclesiâ, dum christianum matrimonium signum est *unionis jam peractæ.* Porro mera adumbratio rei futuræ non tantam requirit perfectionem quantam rei peractæ quasi reproductio et extensio. Unde ante Christum, signum ipsius futuræ unionis erat solus matrimonialis status, absque gratiâ sacramentali, dum matrimonium christianum, ut digna sit imago tum physicæ tum moralis unionis Christi cum Ecclesiâ, debet, juxta S. Paulum, caritate speciali et virtutibus quas gignit caritas, insigniri.

Immo ipsemet status matrimonialis ante Christum sensim prærogativas amisit unitatis et indissolubilitatis, quibus præcipue unionem Christi cum Ecclesiâ repræsentat. E contra matrimonium christianum necessario unum et indissolubile factum est. Gratia specialis non requirebatur quidem ut status matrimonialis, polygamia, divortio, necnon et tyrannide viri in uxorem deturpatus, remaneret quoddam valde imperfectum signum unionis Christi cum Ecclesiâ; sed specialis gratia omnino adesse debet in matrimonio christiano, quale ab Apostolo describitur, nempe unitate et indissolubilitate firmum, et constanti dilectione inter conjuges ornatum, ita ut non solum unionem Christi cum genere humano ad mentem revocare possit, sed ad vivum exprimere ipsius devotissimam erga Ecclesiam caritatem et Ecclesiæ fidelissimam erga Christum.

Neque addere juvat in textu allato agi tantum de matrimonio Adæ cum Evâ; nam Adamus non tam de semetipso quam de posteris loquebatur, dum diceret : "Relinquet homo patrem suum et matrem suam"...; ipse enim non habebat parentes quos relinqueret; prophetice igitur de unione matrimoniali posterorum locutus est, et quidem de illâ quæ perfectius unionem Christi cum Ecclesiâ figurat, de eâ scilicet quæ inter Christianos existit.

952. **Traditione.** In historico hujus dogmatis progressu, tria præcipue stadia distingui possunt.

1° *Quatuor prioribus sæculis*, nonnisi implicite et obscure Patres docent matrimonium esse sacramentum gratiæ productivum. Toti sunt enim in propugnandis *honestate* et *sanctitate* connubii contra Gnosticos et Manichæos, ejusque *indissolubilitate* contra jurisperitos. Attamen, dum asserunt matrimonium esse *signum sacrum* et religiosum, quædam enuntiant principia, quæ supponunt eodem quamdam *conferri gratiam.*

Ita *S. Ignatius* declarat nuptias esse rem sacram, secundum Dominum, de sententiâ episcopi celebrandas[1] : "Decet vero ut sponsi et sponsæ de sententiâ episcopi conjugium faciant, ut nuptiæ secun-

[1] *Ad Polycarpum*, c. 5, p. 293 ed. *Funk.*

dum Dominum sint, non secundum cupiditatem." *Tertullianus* dignitatem christiani matrimonii sic extollit[1] : "Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater ratum habet?" Jamvero tam præclara descriptio, attento etiam contextu ubi depingitur pia et sancta conjugum conversatio, supponit gratiam christiano connubio esse adnexam. — Quod clarius infertur ex hoc *Origenis* testimonio[2] : "Ac Deus quidem is est, qui duo in unum compegit, ut, ex quo mulier viro nupsit, duo amplius non sint, et, quoniam conjunctionis est auctor Deus, propterea *iis inest gratia*, qui a Deo conjuncti sunt.". Non ibi quidem declaratur hanc gratiam ipsi connubio alligatam esse, sed nil prohibet hæc verba ita intelligi. Hanc gratiam pariter commemorat *S. Ambrosius;* postquam de gratiâ baptismatis egit, de christiano connubio scribit[3] : "Cognoscimus velut præsulem custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui; et si quis fecerit, peccare eum in Deum, cujus legem violet, *gratiam solvat.* Et ideo quia in Deum peccat, sacramenti cælestis amittit consortium." Alibi asserit[4] "ipsum conjugium velamine sacerdotali et *benedictione sanctificari*" *:* quibus veris saltem innuitur gratiam esse conjugio adnexam. Id etiam ex eo infertur quod ejus violatio *sacrilegium* a S. Siricio dicitur[5] : "Illa benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ullâ transgressione violetur". — Nonnulli Patres docent Christum, nuptiis Canæ assistendo, suam mentem ostendisse matrimonio gratiam alligandi. Ita *S. Epiphanius*[6] *:* "Duabus mihi de causis videtur invitatus esse Christus. Primum ut aquæ similem ac diffluentem furiosorum hominum in mundo libidinem nuptiarum castimoniâ et honestate constringeret; tum ut, quod deerat, emendaret ac jucundissimi vini suavitate mulceret et gratiâ".

953. 2° A tempore *S. Augustini* ad sæculum XII magis diserte asseritur matrimonium esse *sacramentum gratiæ productivum*, non quidem expressis verbis, sed *æquivalenter*.

(A) Constat ex *Patribus.* (a) Tria bona *S. Augustinus* in nuptiis distinguit, quæ copulam excusant a peccato, *prolem, fidem* et *sacramentum :* prolem, quæ ideo nascitur ut renascatur per gratiam; *fidem*, quâ conjuges perenni vinculo junguntur; *sacramentum*, "quod nec separati nec adulterati

[1] *Ad Uxorem*, lib. II, c. 9, *P. L.*, t. I, p. 1302.
[2] *Comment. in Matth.*, 14, n. 16, *P. G.*, XIII, 1230.
[3] *De Abraham*, lib. I, c. 7, *P. L.*, t. XIV, p. 442.
[4] *Ep.* 19 ad Vigil., n. 7, *P. L.*, XVI, p. 984.
[5] *Epist.* 1 ad Himer., c. 4, *P. L.*, XIII, 1136.
[6] *Hæres.* 51, n. 30. *P. L.*, t. XLI, p. 942.

amittunt, conjuges concorditer casteque custodiant" [1]. Hoc autem sacramentum non esse signum vacuum, sed vere efficax seu gratiæ productivum, ex his verbis patet : " Hujus procul dubio *sacramenti res* est ut mas et femina connubio copulati quamdiu vivunt inseparabiliter perseverent, nec liceat, exceptâ causâ fornicationis, a conjuge conjugem dirimi" [2]. Jamvero, juxta modum loquendi Augustini, *res sacramenti* nihil aliud est nisi *gratia;* significat igitur per gratiam sacramenti ita conjuges juvari ut, non obstante naturali eorum inconstantiâ, inseparabiliter uniti perseverent. Et ita confirmatur quod in argumento biblico dicebamus, videlicet indissolubilitatem vinculi supponere gratiæ collationem.

Alibi loquitur de *sanctitate* hujus sacramenti, quæ pariter consistit in ejus indissolubilitate, et sub hoc respectu matrimonium comparat cum baptismo et ordine, quibus indelebilis imprimitur character : " Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causâ generandi est, et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in *sanctitate sacramenti*, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus nubit, nec saltem ipsa causa pariendi... Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ab plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis [3]. " Exinde concludit matrimonium esse indissolubile, etiamsi filii non procreati fuerint; in hoc consistit *sanctitas*, seu gratia sacramenti.

954. (b) Eodem fere tempore, *S. Cyrillus Alex.*, de nuptiis Canæ scribens, docebat Christum ibi adfuisse ut generationis humanæ principium sanctificaret : "Cum nuptiæ celebrarentur, caste nimirum et honeste, adest quidem mater Salvatoris, sed et ipse una cum discipulis suis invitatus venit; non tam epulaturus, quam ut miraculum faceret ac propterea *generationis humanæ principium sanctificaret*, quod ad carnem nimirum attinet. " Ibi quidem non asseritur matrimonium esse sacramentum, sed solum Christum voluisse generationis humanæ principium sanctificare; quod sane melius fieri nequibat nisi connubium evehendo ad dignitatem sacramenti.

(c) Circa an. 458, *S. Leo magnus*, doctrinæ Pauli innixus, declarat matrimonium esse sacramentum, seu signum unionis Christi et Ecclesiæ : "Unde, cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut, præter sexuum conjunctionem, haberet in se Christi et Ecclesiæ sacramentum (*Ephes.*, V, 32), dubium non est eam mulierem non

[1] S. August., *De nuptiis et concup.*, l. I, c. 17, *P. L.*, t. XLIV, p. 424.
[2] *Ibid.*, c. 10, p. 420. — [3] *De bono conjugali*, c. 24, *P. L.*, t. XL, p. 394.

pertinere ad matrimonium, in quâ docetur nuptiale non fuisse mysterium [1]." Ibi quidem nil explicite dicitur de gratiâ, sed redit argumentum superius propositum de textu S. Pauli.

955. (B) Ex *liturgiis* thesis confirmatur. In antiquissimis enim *Sacramentariis* et *Ordinibus* seu *Ritualibus*, sive latinis sive græcis, invenire est ceremonias et preces pro nuptiis, ex quibus infertur matrimonium esse rem divine institutam, cum sanctificatione et gratiâ conjunctam.

Ita, v. g., declaratur "Deum esse qui legitimâ societate conjuges connectit, et supra conjuges opem suæ benedictionis infundit, ut in conjugali consortio *sanctitate mutuâ* copulentur, mulierisque rudimenta sanctificentur"; sic, v. g., in liturgiâ armenâ legitur : "Benedic, Domine, et *sanctifica* servorum tuorum conjugium... Non enim prohibuisti nuptias, sed *sanctificasti* eas et sacerdotaliter benedixisti" [2]. — Confirmatur ex antiquis *monumentis* [3], in quibus depicta reperitur nuptiarum celebratio; ibi enim exhibentur vir et mulier dextras jungentes, et inter eos exstat monogramma Christi, vel aliquando Christus ipse sponsos coronans, ut exinde appareat matrimonium esse *rem sacram;* immo in numismate græco ad sæc. V vel VI spectante, Christus exhibetur ut conjuges jungens, eisque gratiam impertiens, nam hæc legitur inscriptio Θεοῦ χάρις (gratia Dei). Jamvero hæc omnia, etsi *per se sola* non sufficerent quidem ad thesim demonstrandam, sunt tamen veluti vestigia, quæ ostendunt doctrinam catholicam de elevatione matrimonii ad dignitatem sacramenti fuisse antiquitus implicite traditam, ita ut Ecclesia nihil aliud fecerit, in sequioris ævi definitionibus, nisi explicite et diserte exponere quod obscure et implicite antea tenebatur.

956. 3° *A sæculo XII*, matrimonium inter septem sacramenta recensetur, etsi inter theologos usque ad sæc. XIV disputetur num et quomodo gratiam producat. Ita, an. 1181, *Lucius III* contra Albigenses decrevit anathemate plectendos esse eos qui de sacramentis aliter sentiunt et docent ac Ecclesia Romana; jamvero inter sacramenta recenset matrimonium [4]. Pariter, in Concil. *Lugdunensi II*, 1274,

---

[1] S. Leo, *ep.* 167 ad Rusticum, n. 4, *P. L.*, t. LIV, p. 1204-1205.

[2] Gallanus, *de Conciliat. eccles. armenæ cum roman.*, t. II, q. 5, § 5. Cfr. Martene, *De Ant. Eccl. Ritibus*, l. I, c. 9, a. 5 sq.; Goar, *Euchológ. Græcorum*, De officio coronationis (i. e. nuptiarum, in quibus sponsa coronabatur), aliique auctores superius allegati; Duchesne, *Origines du culte chrétien*, ch. 14.

[3] Garucci, *Vetri*, tab. 26-30; Martigny, *Dict. des Antiquités*, verbo *Mariage; Perpétuité de la Foi*, ed. *Migne*, t. III, p. 965.

[4] *Decretal.*, lib. V, tit. 7, c. 9; Denzinger, 402 (339).

lecta est, nomine Græcorum, confessio fidei Michaelis Palæologi, quâ declarabatur septem esse sacramenta, inter quæ matrimonium connumerabatur [1].

Theologi, jam a sæc. XII, fere unanimiter docent septem esse sacramenta, et inter ea matrimonium computant. Sed, quia sacramentorum efficacia nondum fuerat clare definita, quidam dubitârunt num gratiam conferret. Tres vigebant sententiæ, teste *Alberto Magno* [2] : alii dicebant, cum Præpositivo et Gulielmo Antissiodorensi, matrimonium esse quidem signum gratiæ, sed eam non producere; et hæc fuisse videtur opinio P. Lombardi. Alii tenebant per connubium gratiam conferri, sed solum ad vitandum malum. Alii tandem docebant gratiam conferri etiam in ordine ad bonum; quibus adhæret Albertus. — Hanc pariter sententiam ut *probabiliorem* amplexus est *S. Thomas*, quando librum Sententiarum exposuit [3], et tanquam *certam* in Summâ theologicâ [4]. *Scotus* pariter tenuit matrimonio conferri gratiam, etsi fateatur quosdam aliter sentire : "Quia communiter tenet Ecclesia sacramentum matrimonii esse septimum inter ecclesiastica sacramenta... ideo dici potest quod contractui matrimoniali annexuit Deus sacramentum proprie dictum" [5]. Nihilominus postea *Durandus*, etsi fateatur modernos theologos communiter docere matrimonio conferri gratiam, asserit aliter opinari quosdam canonistas, ideoque concludit rem nondum ab Ecclesiâ esse definitam [6].

A tempore Durandi, non solum theologi, sed canonistæ docuerunt christiano matrimonio conferri gratiam, et quidem tanquam aliquid certum.

Mox *Florentinum*, in Decreto pro Armenis (1445), declaravit matrimonium esse unum e septem sacramentis, ideoque gratiæ productivum. Itaque, quando Protestantes id negârunt, jam Ecclesia catholica, non solum Occidentalis sed Orientalis, hanc veritatem publice profitebatur; *Tridentinum* igitur merito eam tanquam de fide catholicâ definivit.

Hoc argumentum potest etiam proponi per modum *præscriptionis*, ut notavimus *De Sacramentis*, n. 260.

957. Ratio ostendit quantum *deceat* matrimonium esse vere sacramentum, gratiæ productivum. Per hoc enim conjuges deputantur ad opus nobilissimum et societati tum

[1] Denzing., 465 (388). — [2] *In Sentent.*, IV, 26, 14.
[3] *In Sentent.*, IV, d. 26, q. 2, a. 3; cfr. *Supplem.*, q. 42, a. 3.
[4] S. Thom., 2. 2æ, q. 100, a. 2, ad 6.
[5] *In Sentent.*, IV, 26, q. 1, n. 13. — [6] *In Sentent.*, IV, 27, q. 3, n. 5-6.

civili tum spirituali utilissimum, videlicet procreationem et educationem prolis; vinculo indissolubili connectuntur, nec ad alias nuptias, nisi mortuo altero conjuge, convolare possunt; obligationes autem hujusmodi adeo sunt graves ut haud raro non communem sed heroicam requirant virtutem. Porro sacramenta eo fine instituta sunt ut gratiam conferant in illis vitæ stadiis quæ maximi sunt momenti, et ex quibus animarum salus maxime pendet, præsertim cùm ex eisdem oriuntur officia onerosa, quæ vix sine speciali auxilio adimpleri valent. Ergo conveniebat Matrimonio sacramentalem gratiam adnecti, vi cujus filiorum procreatio et educatio sanctificaretur, conjugesque christiani onera sibi imposita facilius ferre valerent.

§ II. De natura sacramenti matrimonii.

Exponemus : 1° naturam sacramenti *in ipso contractu* consistere; 2° quinam sint *ministri;* 3° quænam *elementa constitutiva* seu *materia* et *forma.*

I. De inseparabilitate sacramenti a contractu [1].

958. *Status quæstionis.* Duplici modo Christus sacramentum matrimonii instituere potuit, vel addendo contractui naturali aliquod signum externum gratiæ productivum, v. g., sacerdotalem benedictionem, vel evehendo ipsum contractum matrimonialem ad dignitatem sacramenti. Jamvero, sæc. XVII, *Marcus Ant. de Dominis* [2], Spalatensis Episcopus, postea hæreticus, et *J. Launoy* [3], necnon sæc. XIX° *J. Nuytz*, professor Taurinensis, docuerunt sacramentum ita supervenire matrimonii contractui jam constituto, ut ab eo separari possit, proindeque impedimenta dirimentia a principibus statui posse, cùm contractus matrimonii sit ex naturâ suâ civilis. Quam doctrinam libenter amplexi sunt *Politici*, ut sic facilius circa matrimonium leges ferre valerent.

[1] S. Thom., *Sup.*, 42, a. 1, ad 1; a. 3, ad 3; **Bellarminus**, *de Matrim.*, c. 7-8; **Billuart**, diss. I, a. 5; **Carrière**, p. I, sect. 3, c. I, a. 1; **Perrone**, sect. I, c. 6; **Palmieri**, th. 10; **Pesch**, n. 718 sq.; **Billot**, th. 37.

[2] *De Republ. christianâ*, l. III et V, c. 2.

[3] *De regiâ in matrim. potestate*, t. I, p. 2, c. 4.

Quidam catholici, ut *M. Canus*[1], putârunt contractum esse quidem materiam sacramenti, sed benedictionem sacerdotalem esse formam, ita ut si benedictio omittitur, existat matrimonium ut contractus, non autem ut sacramentum. Pauci alii, post *Vasquez*[2], agnoverunt quidem contractum esse totum et integrum sacramentum, sed tenuerunt contrahentes posse *suâ intentione* efficere ut contractus naturalis sine sacramento existat.

Doctrina autem catholica est ipsum contractum matrimonialem fuisse ad sacramenti dignitatem evectum, ita ut inter *baptizatos* dari non possit matrimonii contractus quin uno eodemque tempore sit sacramentum.

959. *Thesis* : **Inter Christianos matrimonii contractus et Matrimonii sacramentum tam intime connectuntur, ut nullum dari possit matrimonii contractus quin sit pariter sacramentum.** Certum est.

Dicitur *inter christianos*; nam infideles possunt valida matrimonia contrahere, quæ rationem habent contractûs, non autem sacramenti.

(A) *Scripturâ* non demonstratur quidem sed innuitur; etenim ex verbis S. Pauli ad *Ephesios* supra laudatis, Patrum additâ interpretatione, illud ipsum matrimonium ad dignitatem sacramenti evectum est quod Deus ab initio instituerat; atqui quod Deus ab initio instituerat nihil aliud est nisi contractus ipse matrimonialis; ergo contractus ipse, non autem alter ritus accessorius, vere fuit ad dignitatem sacramenti evectus. — Revera nullus ritus, nulla oratio, nulla materia aut forma in Scripturâ determinatur, præter ipsum matrimonialem contractum; ergo omne matrimonium inter Christianos legitime celebratum, est sacramentum; et vice versâ, si non adsit sacramentum, nec erit vere contractus matrimonialis.

960. (B) *Tradit.* (a) *Patres* non directe quidem hanc quæstionem expenderunt, sed ita de matrimonio christiano locuti sunt, ut exinde erui possit *contractum ipsum* fuisse ad dignitatem sacramenti evectum.

(b) Scholastici omnes qui ante sæc. XVI floruerunt id

[1] *De Locis theol.*, l. VIII, c. 5.
[2] *De Sacram.*, disp. 138, c. 5, n. 63-64.

apertius declararunt, docentes, post *S. Thomam* [1], verba quibus consensus seu contractus matrimonialis exprimitur, esse formam sacramenti, vel post *S. Bonaventuram* [2], sacramentum Matrimonii pro materiâ habere personas legitimas, et pro *formâ consensum :* quod quidem importat consensum, seu contractum matrimonialem ad essentiam sacramenti pertinere, nec ab eo divelli posse.

(c) Id etiam infertur ex variis Ecclesiæ documentis. Imprimis *Decretum pro Armenis* hæc habet [3] : " Causa efficiens matrimonii regulariter est *mutuus consensus* per verba de præsenti expressus ". Hic certo agitur de Matrimonio ut *sacramento*, cum Decretum sit instructio de sacramentis; atqui declaratur causam efficientem proindeque essentiam hujus sacramenti esse mutuum consensum, seu matrimonialem contractum; ergo contractus a sacramento separari nequit. Idem ex *Tridentino* erui potest : docet enim [4] matrimonia clandestina *rata* et *vera* fuisse matrimonia, quamdiu Ecclesia eadem irrita non fecerit; quod quidem importat ea fuisse verum sacramentum, nam, juxta *Innocentium III* [5], matrimonium " *verum* et *ratum* existit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed *ratum* efficit conjugii sacramentum ". Atqui in matrimoniis clandestinis nihil invenitur nisi contractus matrimonialis; ergo talis contractus vere constituit sacramentum, nec ab eo separari potest.

(d) Tandem res extra omne dubium posita est ex disertis declarationibus *Pii IX* et *Leonis XIII*.

Prior, in Allocutione ad Cardinales habitâ (27 sept. 1852), legem reprobans, quâ matrimonium ut contractus civilis tantum habebatur, declaravit matrimonium " *inter fideles dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum;* atque idcirco *quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris conjunctionem*, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, *nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum* ab Ecclesiâ tantopere damnatum : ac proinde *a conjugali fœdere sacramentum separari nunquam posse* ". Posterior autem, in Encycl. *Arcanum* (10 Febr. 1880), asserit in matrimonio christiano *contractum a sacramento non esse dissociabilem;* atque ideo

[1] *Suppl.*, q. 42, a. 1, ad 1. — [2] *In IV Sent.*, dist. 28, a. 1, q. 5.
[3] **Denzing.**, n. 597. — [4] Sess. IV, c. 1, de Reformat. Matrim.
[5] *Decretal.*, l. IV, tit. 19, c. 7, ap. **Denzing.**, 406 (351).

non posse contractum verum et *legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum...;* omne inter Christianos justum conjugium *in se* et *per se* esse sacramentum. Merito itaque *Codex*, can. 1012, § 2, declarat : "Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum".

(e) Thesis etiam ex iis quæ de ministro, necnon materiâ et formâ disputabimus, confirmabitur : si enim ministri sunt contrahentes, si materia et forma in ipso consensu consistunt, ut ex dicendis patebit, sacramentum essentialiter in ipso contractu situm est, nec ab eo disjungi potest.

Conclusio. Etiamsi baptizati contrahentes omnino nesciant contractum matrimonialem esse sacramentum, conficiunt tamen sacramentum eo ipso quod intendunt matrimonium contrahere.

II. De ministro Matrimonii[1].

961. *Melchior Canus* primus esse videtur qui docuerit non ipsos contrahentes, sed sacerdotem qui eis benedicit, ministros esse sacramenti[2]; cujus opinionem amplexi sunt multi theologi, inter quos *Sylvius*, *Drouin*, *Tournely* aliique : hodie vero antiqua sententia asserens ipsos contrahentes esse ministros sacramenti, iterum prævalet.

962. *Thesis* : **Ministri sacramenti Matrimonii sunt ipsi contrahentes, non autem Sacerdos nuptiis benedicens.** Certum est.

(A) *Ex antiquis ritualibus.* Ut recte animadvertit *Martene*[3], ita matrimonium olim celebrabatur : sponsi sistebantur sacerdoti ad portas ecclesiæ; deinde, datis sibi mutuo dextris, præstabant consensum, "in quo totam sacramenti matrimonii essentiam reponebant antiqui". Jamvero si essentia sacramenti matrimonii in solo consensu conjugum consistit, ipsi contrahentes sibi administrant sacramentum.

---

[1] S. Thom., *Supp.*, q. 45, a. 5; q. 46, a. 2; **Bellarminus**, c. 6; **Drouin**, lib. X, q. II; **Billuart**, diss. I, a. 6; **Carrière**, pars I, sect. 2, c. 2; **Perrone**, sect. I, c. 2; **de Augustinis**, a. 3; **Palmieri**, th. XI.

[2] *De Loc. theolog.*, l. VIII, c. 5. — Melchior Canus suam sententiam tribuit *Gulielmo Parisiensi*, *Petro Paludano*, immo *S. Thomæ*, sed immerito, ut late ostendit **Perrone**, l. c., p. 48 sq.

[3] *De Antiquis Eccl. Rit.*, p. II, c. 9, a. 1.

(B) *Auctoritate theologorum.* Veteres Scholastici id aperte declarârunt; ita *S. Thomas* scribit [1] : " Consensus expressus per verba de præsenti, inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit...; alia autem omnia sunt de sollemnitate sacramenti... Et ideo sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quasi de essentiâ sacramenti ". Idem docuerunt *S. Bonaventura*[2], aliique theologi usque ad sæc. XVI.

(C) *Ecclesiæ praxi et declarationibus.* (a) *Tridentinum* declaravit *rata et vera* fuisse matrimonia clandestina, i. e., absque præsentiâ sacerdotis contracta, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit [3]. Atqui ex usu loquendi ecclesiastico matrimonium *ratum* idem est ac *sacramentum* matrimonii [4]. (b) Aliunde, proposito dubio utrum matrimonia tempore gallicæ perturbationis peracta, absque sacerdotis præsentiâ, revalidanda essent, Congregatio pro negotiis Ecclesiæ gallicanæ deputata respondit (22 apr. 1792) " hujusmodi *benedictionem ad validitatem minime pertinere* ".

(D) *Rat. theol.* Ex dictis in præcedente thesi, contractus matrimonialis inseparabilis est, immo non realiter distinguitur ab ipso sacramento, proindeque illi vere conficiunt sacramentum qui contractum perficiunt.

Principia ad solvendas difficultates. (a) Aliquando, in antiquis documentis, matrimonia, sine præsentiâ Sacerdotis celebrata, illicita, aut aliquando illegitima dicebantur, quia contra leges Ecclesiæ contrahebantur, sed ex hoc minime sequitur eadem invalida fuisse. (b) Iterum quidam benedictioni sacerdotali tribuunt virtutem *sacramentalem*, sed, inspecto contextu, sensus est hujusmodi benedictionem esse quoddam sacramentale. (c) Nonnunquam asseritur matrimonium, absque illâ benedictione, non esse veri nominis sacramentum, quia contrahentes, legem Ecclesiæ violantes, gratiam sacramenti non recipiebant. Horum principiorum ope, præcipuæ difficultates solvi queunt : si quæ autem supersint auctoritates contra nostram thesim, vim decisionum Ecclesiæ infringere non possunt.

---

[1] *Suppl.*, q. 45, a. 5. — [2] *In IV Sent.*, dist. 28, q. 5.

[3] Sess. XXIV, de Ref. Matrim., c. 1.

[4] Ita declaravit Innocentius, *Decretal.*, l. IV, tit. 19, c. 7, Denz.-Bann., 406 (351).

III. De materia et forma.

963. **Materiam** sacramenti Matrimonii sitam esse in ipso contractu omnes theologi tenent.

Nonnulli autem, cum *Melchiore Cano*, putârunt formam in benedictione sacerdotis reponendam esse : quæ quidem opinio ex jam dictis confutata manet. Est igitur *communis* et *certa* doctrina *materiam et formam in ipso matrimoniali contractu* repositam esse.

964. Hoc autem diverso modo explicatur.

(A) Quidam, cum *Navarro*, dixerunt consensum internum esse materiam, formam autem consistere in signis externis quæ consensum exprimunt; quod admitti nequit, nam materia debet esse aliquo modo sensibilis, independenter a formâ.

(B) Alii tenuerunt, cum *Vasquez*, corpora contrahentium seu dominium in ea esse materiam, formam autem verbis consensum significantibus constitui. Admittimus quidem dominium in corpora esse materiam *circa quam* versatur sacramentum, sed negamus illud esse materiam *ex quâ* constat sacramentum; nam tale dominium nullo modo gratiam significat, nec constituit ipsum matrimonialem contractum, in quo tamen consistit sacramentum.

(C) *Communis* igitur sententia in praxi *tenenda* docet *materiam* proprie dictam et vere sacramentalem esse *consensum*, quatenus reciprocam corporum *traditionem* exprimit, *formam* autem esse eumdem *consensum*, quatenus mutuam eorum *acceptationem* significat. (a) Quod imprimis declaravit *Benedictus XIV*[1] : " Legitimus contractus materia insimul ac forma est sacramenti Matrimonii; mutua nempe ac legitima corporum traditio verbis ac nutibus interiorem assensum exprimentibus, materia, et mutua pariter ac legitima corporum acceptatio, forma ". (b) *Ratione* confirmatur : mutua enim traditio est quid *determinabile* tantum, cùm sit solum inchoatio contractûs : corporum autem acceptatio est quid *determinans*, cùm contractum compleat eumque efficacem reddat.

Objiciunt quidam contractum matrimonialem non esse materiam et formam hujus sacramenti, quia gratiam minime significat. Sed immerito; nam hujusmodi contractus significat unionem Christi cum Ecclesiâ, quæ est veluti fons ac causa gratiæ huic sacramento

[1] Decret. Ep. *ad Archiep. Goanum*, 19 mart. 1758.

propriæ, proindeque ipsam gratiam quibus conjuges ipsi sanctificantur; sed insuper consensus ille directe etiam repræsentat spiritualem illam animorum unionem quæ est una e præcipuis gratiis huic sacramento annexis.

965. **Corollaria.** (A) Matrimonium est contractus sui generis, speciales characteres præ se ferens; siquidem est : (a) *naturalis*, quatenus naturali hominum inclinatione fundatur, et ad bonum naturæ ordinatur, scilicet humani generis propagationem et educationem; (b) *sacer*, cùm a Deo fuerit institutus et significet unionem Christi cum Ecclesiâ; (c) *sacramentalis*, cùm ad dignitatem sacramenti evectus fuerit; (d) *ecclesiasticus*, quatenus ad bonum Ecclesiæ ordinatur, et multis legibus Ecclesiæ regitur; (e) *civilis*, utpote tendens ad bonum reipublicæ, et in quibusdam accessoriis potestati civili obnoxius.

966. (B) Matrimonium inter *Infideles* non est sacramentum, cùm Baptismus sit janua omnium sacramentorum, ita ut nullum a non baptizatis valide recipi valeat. Attamen eorum connubia valida sunt ut contractus naturalis. *Hæretici* autem, qui valide baptizati sunt, et legitime contrahunt, sacramentum Matrimonii valide accipiunt, etiamsi ignorent vel negent hujus sacramenti existentiam.

967. **Quæstiones disputatæ.** Quæritur : (A) nùm matrimonium a non baptizatis contractum fiat sacramentum, si uterque conjux postea baptizatus fuerit. (a) Quidam *negant*, inter quos *Vasquez*, *Salmanticenses*, *Carrière*[1], etc., quia res semel donata non potest de novo valide donari, cùm non sit amplius sub potestate donatoris. Alii autem communius et probabilius *affirmant* cum *Sanchez*, *Bellarmino*, *Perrone* aliisque[2] : vel quia renovatur consensus, saltem implicite, in ordine ad firmiorem indissolubilitatem; vel potiùs quia sola ratio cur contractus non fuerit simul sacramentum, est quia contrahentibus christianus character deerat; statim igitur ac Baptismi characterem recipiunt, obex removetur, ac contractus fit sacramentum, quin renovetur ullo modo consensus.

(b) Nùm matrimonium validum *fidelis cum infideli* sit sacramentum. Multi *negant*, ut *Sanchez*, *Billuart*, *Theologi Wirceburgenses*[3],

[1] **Salmantic.**, c. 3, n. 82; **Carrière**, n. 150.

[2] **Sanchez**, l. II, disp. IX, n. 5; **Wirceburgenses**, n. 285; **Benedictus XIV**, *de Synodo diœces.*, l. VIII, c. 13, n. 8; **de Augustinis**, a. 5.

[3] **Sanchez**, l. II, disp. VIII, n. 2; **Billuart**, d. I, a. 5, pet. 7; **Wirceburg** n. 288.

quia sicut ad contractum requiruntur essentialiter duo habiles ad contrahendum, ita ad sacramentum quod cum contractu identificatur, requiruntur duo habiles ad consensum sacramentalem præstandum. Alii autem, et quidem probabiliter, *affirmant* matrimonium hujusmodi esse sacramentum in parte fideli; ita *Salmanticenses*, *Tournely*, *Perrone* [1], etc. Etenim, quamvis res a Dei voluntate pendeat, *ex se* tamen nil prohibet quin unum idemque sacramentum sit validum in uno qui nullo impedimento laborat, invalidum autem in altero qui sacramenti est incapax. Cùm enim matrimonium ut sacramentum possit esse *fructuosum* pro uno tantum conjugum recte disposito, ita potest esse *validum* pro uno tantum capaci ; eo magis quòd fuisset durissimum christianis mulieribus quæ prioribus sæculis ethnicos in matrimonium ducere debebant, privari gratiâ sacramentali ipsis tam necessariâ.

§ III. De effectibus sacramenti.

968. Cùm Matrimonium sit unum ex sacramentis N. Legis, gratiam habitualem producit *ex opere operato*, ut definitum est a *Trident.* [2] : " Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum... *neque gratiam conferre*, A. S. "

Gratia autem, quam confert, non est prima, sed *secunda*, cùm, teste *Tridentino* [3], institutum fuerit non ad peccata remittenda, sed ad sanctificandos conjuges. Præterea gratia huic sacramento propria consistit in jure ad accipiendas, tempore opportuno, gratias actuales christianis conjugibus ad sua officia rite adimplenda necessarias, scilicet : 1° ad christianam prolis procreationem et educationem ; 2° ad mutuum amorem et vitæ consortium; 3° ad concupiscentiam coercendam.

1° *Ad christianam prolis procreationem et educationem.* Confertur siquidem gratia : (a) ad quærendum in matrimonio *prolis bonum* potiùs quam voluptatem, juxta exemplum pii Tobiæ qui dicebat : " Et nunc, Domine, tu scis quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen tuum in

[1] Salmantic., cap. III, n. 82 ; Tournely, q. II, a. 2, ed. Veneta, 1739, p. 45.
[2] Sess. XXIV, c. 1, Denz.-Bann,. 971 (847).
[3] Denz.-Bann., 969 (846).

sæcula sæculorum "[1]; (b) ad *filios sancte educandos*, qui sint non solum terrestri patriæ utiles, sed etiam fideles Ecclesiæ cives, regnique cælestis candidati; nam, ut ait *Leo XIII*[2]: "In liberis tuendis atque ad virtutem potissimum informandis omnes parentum curas cogitationesque evigilare necesse est : *Patres, educate illos in disciplinâ et correptione Domini*"[3]; et addit hæc officia, "ob virtutem quæ sacramento percipitur", non modo tolerabilia, sed jucunda fieri.

2° *Ad castum amorem fovendum;* siquidem sacramentalis gratia potenter efficit ut vir uxorem suam diligat sicut Christus Ecclesiam, et uxor viro subdita sit sicut Ecclesia Christo, amboque alacrius mutuas infirmitates mutuosque defectus perferant et sibi mutuo condonent, immo assiduum præsidium alter alteri præstet.

3° *Ad concupiscentiam moderandam;* gratiâ enim sacramenti adjuti, christiani conjuges libidinis impetus cohibere valent, adulterinos amores sedulo vitant, caste juribus suis utuntur : sicut enim "Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro eâ ut illam sanctificaret"[4], ita vir christianus casto amore uxorem prosequitur, et uxor virum, ita ut ex illâ mutuâ dilectione sanctiores evadant.

Attamen, ut Matrimonii sacramentum præfatos operetur effectus, recipi debet cum rectâ intentione et statu gratiæ. Pastores igitur tum privatim tum publice adolescentes hortentur ut non sine sufficientibus dispositionibus accedant ad sacramentum.

§ IV. De potestate leges ferendi circa matrimonium[5].

969. Cùm matrimonii contractus ad dignitatem sacramenti fuerit evectus, eo ipso Ecclesiæ potestati subjicitur.

---

[1] *Tob.*, VIII, 9. — [2] *Encycl. Arcanum.* — [3] *Ephes.*, VI, 4. — [4] *Ephes.*, V, 25-26.

[5] **S. Thom.**, *Quodlibet.* V, a. 15; **Bellarminus**, c. 32; **Sanchez**, l. VII, disp. III; **Drouin**, l. IX, q. VI, c. 1; **Billuart**, diss. VI, a. 2-3; **Carrière**, p. III, sect. II, c. 2, n. 520 sq. cum emendationibus in 6a ed. *Compendii* insertis, n. 130 sq.; **Perrone**, l. II; **Heuser**, *De potestate statuendi impedimenta dirimentia...*, 1853: **Palmieri**, th. 28 sq.; **Roskovany**, *De Matrimonio in Ecclesiâ catholicâ potestati ecclesiasticæ subjecto*, 1887; **de Angelis**, *Prælect. juris can.*, tom. III, p. I, p. 24 sq.; **Cavagnis**, *Institut. juris publ.*, 4a ed., l. V, n. 184 sq.; **Billot**, th. 47-48; **Paoli**, *Etude sur les origines et la nature du mariage civil*, Paris, 1890; **R. Lemaire**, *Le Mariage civil*, 2a ed., Paris, 1904;

Hanc tamen Ecclesiæ auctoritatem negârunt non solum *Novatores*, qui matrimonium tenebant *sacramentum non esse*, sed etiam *M. A. de Dominis*, *Launoy*, *Regalistæ* non pauci, necnon *Jansenistæ* qui Synodo Pistoriensi (1786) adfuerunt : isti siquidem docere non erubuerunt potestatem leges ferendi circa christianum matrimonium, præsertim ad dirimenda matrimonia, pertinere ad solos principes sæculares, non vero ad Ecclesiam, nisi forte ex principum indulgentiâ. Præterea catholici auctores non pauci, præsertim in Galliâ, putârunt potestatem impedimenta dirimentia statuendi non solum Ecclesiæ, sed etiam principibus competere, quia matrimonium est contractus tum civilis tum ecclesiasticus. Quæ tamen opinio hodie, post repetitas S. Sedis declarationes, admitti nequit. Quid Ecclesia, quid potestas civilis de matrimonio possit decernere sequentes propositiones declarabunt.

970. *Thesis 1ª* : **Ecclesia potestatem habet statuendi jure proprio impedimenta matrimonium fidelium dirimentia, et judicandi causas matrimoniales quæ matrimonii vinculum respiciunt.** *De fide* est ex *Tridentino*[1] : " Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errâsse, A. S. — Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, A. S. "

Jamvero hujusmodi canones dogmatici sunt, quidquid in contrarium pauci dixerint; hìc enim agitur de re non disciplinari, sed ad fidem spectante, scilicet de ipsâ potestate Ecclesiæ et de ejus infallibilitate in exercitio hujus juris. Præterea hanc potestatem Ecclesiæ inesse *jure proprio*, non autem ex concessione Principum, colligitur ex damnatione propositionis Synodi Pistoriensis, in quâ oppositus error propugnabatur : talis enim propositio ut *Tridentino contraria* et ex *hæreticali principio* profecta, reprobata fuit[2].

971. (A) *Praxi Ecclesiæ.* Christus ipse legem indissolubilitatis, juri romano contrariam, statuerat; Paulus *privilegium fidei*, supra, n. 927, promulgaverat. Horum vestigiis inhærens, Ecclesia *proprio jure* varia de matrimonio condidit statuta; præsertim impedimenta dirimentia, et, datâ occasione, de causis matrimonialibus quoad ipsum *vinculum* judicavit.

Basdevant, *Des rapports de l'Eglise et de l'Etat dans la législation du Mariage*, Paris, 1900.

[1] Sess. XXIV, can. 4, 12.

[2] Ap. Denzing., 1559-1560 (1422-23).

(a) Imprimis antiquissima est Ecclesiæ lex, vi cujus matrimonia virginum quæ sollemniter suam virginitatem Deo voverant, non solum illicita sed etiam invalida habita sunt; ita, v. g., *Gelasius I* scribit[1] : "Virginibus autem sacris temere se quosdam sociare cognovimus, et post dicatum Deo propositum *incesta fœdera* et sacrilega miscere". Porro hujusmodi lex ex nullo civili Codice desumpta est; ergo ab ipsâ Ecclesiâ *jure proprio* lata fuit. (b) Concil. *Neocæsariense* (314), can. 2, statuit[2] : "Femina, si duobus fratribus nupserit, extrudatur usque ad mortem. Sed in morte, propter humanitatem, si dixerit quod, ubi convaluerit, *solvet matrimonium*, habebit pænitentiam"; quibus verbis supponitur matrimonium de quo agitur tanquam nullum habitum fuisse. Jamvero hoc impedimentum a lege civili non fuit mutuatum, cùm hæc nonnisi an. 355 idem statuerit[3]. (c) Synodus *Matisconensis* (585), can. 16, declaravit irrita esse matrimonia a viduis clericorum contracta : "uxor subdiaconi, exorcistæ vel acolythi, mortuo illo, secundo se non audeat sociare matrimonio"; quod in nullâ civili lege reperitur. (d) Tandem in *Tridentino*, oratores Regis Galliarum petierunt ut matrimonia clandestina, et connubia sine parentum consensu contracta, irrita declararentur : prius fuit concessum, posterius autem negatum; quod quidem luculenter probat auctoritatem Ecclesiæ in condendis impedimentis fuisse penitus agnitam, et quidem a jure principum independentem.

Quod argumentum sic breviter contrahit *Leo XIII* (*Arcanum*) : "Quæ (Ecclesia) potestatem in conjugia Christianorum, omni cum tempore tum loco, exercuit, atque ita exercuit, ut illam *propriam* ejus esse appareret, nec hominum concessu quæsitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam... Nemo ignorat quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultûs, consanguinitatis, criminis, publicæ honestatis in conciliis Illiberitano, Arelatensi, Chalcedonensi, Milevitano II[4] aliisque, fuerint ab Ecclesiæ præsulibus constituta, quæ a decretis jure imperatorio sancitis longe sæpe distarent. Quin tantum abfuit ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia christiana potestatem, ut potius eam, quanta est, penes Ecclesiam esse agnoscerent et declararent. Revera Honorius, Theodosius junior, Justinianus (*Novel.* 137) fateri non dubitârunt, in iis rebus, quæ nuptias attingunt, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi licere. Et de connubiorum impedimentis, si quid per edicta sanxerunt, causam docuerunt non inviti, nimirum, id sibi sumpsisse ex Ecclesiæ permissu atque auctoritate".

---

[1] *Ep.* ad Episcopos Lucaniæ, c. 20, *P. L.*, LIX, 54.

[2] Ap. **Bruns**, t. I, p. 71.

[3] *Cod. Theod.*, l. III, tit. 12, *Etsi licitum.*

[4] **D'Aguirre**, *Conc. Hisp.*, tom. I, can. 13, 15-17; **Harduin**, *Act. Concil.*, t. I, can. 11, 16-17.

972. (B) *Rat. Theol.* Matrimonium, inter Christianos celebratum, est sacramentum; atqui sacramentum est quid omnino sacrum, quod civilis auctoritatis potestatem transcendit, solique Ecclesiæ potestati subjacet. Ergo et ipse contractus, indivulse cum sacramento connexus, et ad dignitatem sacramenti evectus, eo ipso ab auctoritate civili subtrahitur, quippe quæ circa res sacras nihil valeat : " Igitur cùm matrimonium sit suâ vi, suâ naturâ, suâ sponte sacrum consentaneum est ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divinâ auctoritate Ecclesiæ, quæ rerum sacrarum sola habet magisterium " [1].

973. *Thesis 2ª* : **Potestas civilis non potest leges statuere matrimonii fidelium vinculum respicientes, sed solum circa effectus temporales et separabiles contractûs.** *Certum est.*

Ad quod intelligendum, notare juvat effectus matrimonii temporales duplicis esse generis, alios ab ipso contractu inseparabiles, v. g., mutua jura et officia conjugum quoad torum et habitationem, prolis legitimitatem; alios autem ab ipsâ substantiâ contractûs separabiles, v. g., dotem, donationes propter nuptias, hereditariam successionem, etc.

(A) *Prius* probatur : (a) *Ecclesiæ praxi* : Ecclesia enim nunquam hanc potestatem in principibus agnovit, sed nullam vim habere censuit leges civiles circa matrimonii vinculum.

Ita *Gregorius M.* conjugia consobrinorum a principibus permissa reprobavit; *Benedictus XIV* [2], loquendo de lege, quâ Theodosius prohibuerat matrimonia Judæorum cum Christianis, ait : " Hæc lex, utpote a laico principe condita, nullam habere vim in matrimoniis debet"; item *Urbanus VIII* ac *Pius VII* [3] declarârunt legem civilem, irritantem matrimonia sine consensu parentum inita, in foro conscientiæ vim non habere.

(b) *Auctoritate RR. Pontificum*, imprimis *Pii VI* [4] : " Dogma est fidei ut matrimonium quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud, post Christi adventum, evaserit unum ex septem legis

---

[1] Leo XIII, l. c. — [2] *Litt.* ad Card. Eboracensem, 9 febr. 1749.
[3] *Litt.* ad Napoleonem, 27 jun. 1805.
[4] *Brev.* ad Episc. Motulensem, 16 Sept. 1788. Cfr. *Codex*, c. 1016.

Evangelicæ sacramentis... Hinc fit ut ad *solam Ecclesiam*, cui tota de sacramentis est cura concredita, jus omne ac potestas pertineat suam adsignandi formam huic contractui ad sublimiorem sacramenti dignitatem evecto, ac proinde de matrimoniorum validitate aut invaliditate sententiam ferre ". Ibidem illos confutat qui dicunt canonem Tridentinum (supra, n. 970) non dicere *solos* judices ecclesiasticos, aut *omnes* causas matrimoniales : " Verba enim canonis ita generalia sunt, omnes ut causas comprehendant et complectantur; spiritus vero sive ratio legis adeo late patet, ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquat ".

(c) *Rat. theol.* Matrimonium enim, ut recte ait *Pius VI*, non est contractus mere civilis aut naturalis, sed unum ex septem sacramentis; atqui sola Ecclesia, vi potestatis ipsi divinitus concreditæ, de sacramentis leges ferre valet.

Objiciunt quidam *politici* in societatibus hodiernis, quæ sunt mixtæ religionis, potestatem civilem leges condere debere circa ipsam essentiam matrimonii, ut sic pro omnibus civibus uniformitas servetur.

Resp. Ad hanc uniformitatem servandam, sufficit ut Status *conditiones et effectus civiles*, ex contractu matrimoniali orientes, determinet. Sed ipsa conscientiæ libertas postulat, ut in societatibus mixtis nulla lex feratur de *ipso vinculo* matrimoniali : cùm enim non eadem sint hâc de re variarum spiritualium societatum statuta, ex quâcumque civili lege circa vinculum fieret ut nonnulli cives tanquam invalidum tenerentur habere matrimonium quod secundum suam conscientiam validum est, vel vice versâ.

974. (B) *Posterius* declaratur et probatur, videlicet potestas civilis potest leges statuere circa *effectus temporales ac separabiles matrimonii*, v. g., dotes, hereditates ac generatim possessiones bonorum temporalium quæ e maritali contractu sequuntur. Ratio est quia ex unâ parte hæc non afficiunt substantiam contractûs, sed sunt ipsi accessoria, et ex alterâ potestas civilis determinare potest circa res hujusmodi quidquid bonum publicum requirit.

(a) Potest prohibere, non quidem sub pœnâ nullitatis, sed sub aliis pœnis, v. g., mulctis pecuniariis, amissione jurium civilium, ne matrimonia fiant nisi servatis conditionibus quas bonum publicum exigit, v. g., ne minores contrahant absque parentum consensu, ne milites uxorem ducant nisi de veniâ auctoritatis militaris, etc. (b) Valet etiam connubiis a se vetitis denegare recognitionem non-

nullorum effectuum civilium, v. g., recognitionem dotis, juris succedendi in privilegiis patris, ubi talia agnoscuntur privilegia, etc. (c) Jus pariter habet *registrandi* matrimonia atque considerandi hanc registrationem ut legalem probationem existentiæ supradicti matrimonii, quamvis ex æquitate receptum sit hanc probationem per æquipollentem suppleri posse, si legalis deficiat.

Disputatur tamen inter theologos num Status denegare possit filiis genitis ex matrimoniis in se validis, sed lege civili prohibitis, civilem legitimitatem et jus successionis in paternam hereditatem intestatam. Ratio dubitandi est quia hæc duo jura sunt partim a naturâ, partim a jure civili. Communius asseritur Statum id valere non posse quoad *legitimitatem* quæ ex ipsâ validitate matrimonii defluit. Omnes aliunde agnoscunt denegationem horum jurium insipientem et crudelem esse, cùm sint aliæ pœnæ magis efficaces ad ea conjugia impedienda, nec expediat punire in filiis delicta parentum [1].

Corollarium de jure auctoritatis civilis in matrimonium infidelium.

975. Nonnulli theologi putant Statum non habere potestatem leges ferendi de matrimoniis *infidelium*, quia hæc, licet sint merus contractus, aliquid religiosi præ se ferunt, et aliunde valde timendum est ne Status, si ipsi concedatur hujusmodi potestas, justos limites transgrediatur atque familiæ religionisque sanctuarium invadat [2].

Communis tamen sententia tenet hanc potestatem principi sæculari competere, ita ut possit ad bonum commune impedimenta dirimentia statuere. (a) Hoc enim aperte declaratum est a *S. C. de Propagandâ Fide* in Instructione quæ anno 1821 edita fuit [3]: "Licet inter infideles verum sit matrimonium, illud tamen ad naturæ et communitatis officium referri tantummodo potest, ac proinde a jure naturali et civili plane est moderandum. *Sequitur hinc principes sæculares, sive fideles sive infideles, plenissimam potestatem retinere in matrimonia subditorum infidelium, ut scilicet appositis impedimentis, quæ juri naturali ac divino adversa non sint, eadem non solum quoad civiles effectus, sed etiam quoad conjugale vinculum penitus rescindant*". Quod etiam confirmatum est pluribus decisionibus *S. C. P. F.* et *S. Officii.*

(b) Ea enim omnia determinare possunt principes quæ ad commune bonum civilis societatis pertinent, dummodo res de quâ

[1] Cf. **de Angelis**, *op. cit.*, p. 43 sq.; **Palmieri**, th. 31.

[2] Ita **Perrone**, *De Matrim.*, II, 439 sq.; **Feije**, *de Impedimentis*. n. 67.

[3] *Collectanea* [2], n. 744 (1447) cum notâ. Cfr. **Resemans**, *De competentiâ civili in vinculum conjugale infidelium*, Romæ, 1887; **Cavagnis**, l. c., n. 185; **Gasparri**, *op. cit.*, n. 287 sq.; **Sasse**, II, p. 470.

agitur, utpote sacra, ab eorum auctoritate subtracta non fuerit. Atqui maxime interest societatis civilis ut certa existat norma auctoritate publicâ constituta, secundum quam matrimonia rite contrahantur; lege enim naturæ hoc satis non fuit determinatum in certis adjunctis. Aliunde matrimonium paganorum, licet in quibusdam regionibus aliquo ritu religioso accidentaliter consecretur, non est tamen sacramentum, neque a Christo auctoritati Ecclesiæ fuit subjectum, cùm Ecclesia nullum jus sibi vindicet directum in hujusmodi matrimonia. Ergo potestas civilis hâc de re leges ferre valet. Nec sane jus principum denegari potest, quia eo abuti possunt; secus enim, quot jura intacta manerent? Nec sapientiores esse debemus quam ipsæ Romanæ Congregationes.

Tractatum *de Matrimonio* his *Leonis XIII* verbis [1] concludimus : " Quæ cum ita sint, omnes gubernatores administratoresque rerum publicarum, si rationem sequi, si sapientiam, si ipsam populorum utilitatem voluissent, malle debuerant sacras de matrimonio leges intactas manere, oblatumque Ecclesiæ adjumentum in tutelam morum prosperitatemque familiarum adhibere, quam ipsam vocare Ecclesiam in suspicionem inimicitiæ, et in falsam atque iniquam violati juris civilis insimulationem ".

[1] Encycl. *Arcanum*.

Index Rerum.

De Pænitentiâ.

CAP. III. De ipso sacramento Pænitentiæ.

De Matrimonio.

CAP. I. De Matrimonio ut contractu.

CAP. II. De Matrimonio ut sacramento.

Imprimerie S. Jean l'Évangéliste, Desclée et Cie. — Tournai (Belgique).

30,–